



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**


**Coloniæ, 1657**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**




Th. 2584

J. 17  
21









AVLA III.  
THESAURORVM  
DEI.

IN PASSIONE D. N. IESV CHRISTI

Effusorum ad

RESURRECTIONEM MULTORUM

*Demonstrante*

Admodum Reverendo, Prænobili & Amplissimo

Viro ac Domino,

D. GEORGIO Ab EYSCHEN  
ARLVNENSI

SS. THEOL. LICENTIATO

Nec non Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienfis Pres-  
bytero Capitulari ac Seniore,

Serenissimi ac Reverendissimi

PRINCIPIS FRANCISCI

*Verdunensis Episcopi, Lotharingia Ducis, Argenti-*

*nensis Episcopatus Administratoris, Præpositi Colon. &c. Consiliario  
atque Eleemosynario &c.*



COLONIÆ,

Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopol.

Typis URBANI KRAFFT, Anno M. DCLVII.





SERENISSIMO  
AC REVERENDISSIMO  
PRINCIPI  
AC DOMINO

FRANCISCO  
SACRI ROMANI IMPE-  
RII PRINCIPI. BARRI,  
GELDRIÆ, CALABRIÆ,

AC

LOTHARINGIÆ DUCI, VIRDU-  
nensi Episcopo, ac Comiti Argentinensis  
Episcopatus Administratori.

Nec non Ecclesiarum Coloniensis, Magdebur-  
gensis, Argentinensis &c. respectivè Propo-  
sito & Decano, Domino meo clemen-  
tissimo Patrono gratiosissimo.

SERENISSIME PRINCEPS CLEMENTISSIME DOMINE



Absolvi Commentarium in Passio-  
nem Domini N. I. Christi Secun-  
dum Matthæum, eumque Regum  
Regi ac Domino Dominantium,  
Maximo meo Benefactori ac Servatori dedica-

\* 2

vi. Eum

vi. Eum excepit Commentarius in Passionem  
eiusdem D. N. Secundum Marcum, quem, uti  
decebat, obtuli Serenissimo meo Principi ac  
Domino Coloniensi Electori atque Archiepis-  
copo Henrico Maximiliano, Diocesios nobis  
concreditæ Gubernatori attentissimo. Nunc  
cum Commentarius Passionis Domini eiusdem  
Secundum Lucam in typothetarum manibus  
ad finem excurrat, cui eam magis propenso ani-  
mo, vel promptiore manu, & calamo amantio-  
re offeram, quam Tuæ Serenissimæ Clementiæ,  
nec video, nec quisquam mortalium mihi sua-  
debit, aliter, etsi velim. Scit enim Germaniæ,  
Galliæ Italiæque bona pars, quanta sint T. Se-  
ren.<sup>is</sup> in me beneficia, & quanto tempore in me  
accumulata excreverint in montes ingentes:  
ita ut, post cælites Deumque, maximus sit mihi  
T. Ser.<sup>is</sup> habendus semper honos.

Accedit quod in ipsa Tuæ Serenissimæ Cle-  
mentiæ Aula, hanc ipsam aulam, uti & cæteras,  
quadraginta annorum decursu domesticus &  
in consilijs & propemodum in omni procinctu  
apparatu & convictu versatus concinnavi.

Versabar etiam cum tua Serenissima Cle-  
mentia, cum eadem Ferdinando II. optimæ re-

cor-

cordationis Augusto homagium præstabat & de Comitatu Virdunensi Princeps Imperij in jura & privilegia olim à Friderico I. Barbarossa Imperatore concessa investiebatur, quo tempore etiam mihi ac parenti meo ea gratia obvenit, ut tuorum itinerum ac laborum consortes ad Nobilitatis honorem evehi mereremur, ab eodem Augusto Ferdinando II. cui, uti & eiusdem filio Ferdinando III. ac universo Austriaco sanguini eam fidem semper impendit T. Serenissima virtus & Constantia, ut si ab ea ad unguem latum deflectere potuisset, opibus & gloria potentior, efflorescere potuisset. Sed ad T. Serenitatis in me collatorum gratissimam relabor memoriam.

Tuæ Serenissimæ Clem.<sup>æ</sup> munus fuit quod dignitas Canonialis in Illustrissima illa Metropolitana Ecclesia Coloniensi, Principum ac Comitum Illustrissimorum matrice, mihi sit collata; Dignatio tua fuit, quod me consiliorum tuorum conscium & adiutorem, etiam in Elemosynis expendendis diribitorem nominaris. Accessit etiam Nobile Feudum per te collatum.

Atque ista plurimæque alia sunt, quibus me millies debitorem T. Ser. Clem. uti clientem pro.

profiteri cogor, & libenter gaudensque palam profiteor. Si vero  
Tua Sereniss. Clem. merita in Remp. & Romanum Imperium  
fidem summam, si opem indefessam Ecclesijs in Germania pra-  
stitam; si ordinibus religiosi, ac personis beneficia ingentia im-  
posita intueri incipio, plane aliquem mundum ingredi videor,  
vel labyrinthum ex quo emergere non possim. & tamen ab in-  
gressu eorum me continere sine piaculo non audeo. Quid igitur  
quasi in limine constitutus foris stantibus quasi per patent  
ostium digito monstrabo pauca, quae in ipso atrio occurrunt. Ibi  
statim sese offert ingens Thesaurus, quem ex Praepositura Colo-  
niensi T. Serenissimae Clementiae oblata colligere integrum  
fuisset, quem tamen solum servatis oneribus & laboribus li-  
beralissime totum Ecclesiae Coloniae debitis exsolvendis  
Eadem clementia obtulit, & quasi diffudit. Ibi Arx Sonti-  
na, inter Novesium ab Hoste Gallo-Hassico occupatum, & inter  
Agrippinensem Coloniam liberam, medium propugnaculum  
Tuae Serenitatis providentia, cura & animi magnitudine ter-  
contra obsidentium hostium impetum & furorem defensum se-  
se omnium oculis hodieque vulneratum ostentat. Ibi summa T.  
Sereniss. Clem. prudentia & moderatio & aequitas in tractandis  
causis in clero & populo & Electore controversis sese ingenti-  
bus voluminibus explicat. Ibi quasi per parietes picta (spatiose  
agmina Ordinum diversorum Serenissimis Tuae Clem. pedibus  
sese advolvunt Tuae beneficentiae, & Clementiae & humani-  
tatis radijs illustrata, & quasi ad viralem calorem sustentata,  
inter quos PP. de Societ. Iesu & ex Seraphico B. Francisci insti-  
tuto etiamnum inter se certare videntur, utri Tuae Seren. Clem.  
magis debeant, & amare possint ac revereri. quibus si me arbi-  
trum immiscere velim, ab utrisque pene me lacerum potius,  
quam integrum, a parte eorum teneri posse perentisco. Tuae enim  
Sereniss. Clem. Gratia, se ipsis aequae exhibuit ut Patrem,

Non egredior urbem & Territorium Coloniae satis habeo,  
quod ibi annali narratione perstringam. Quae aliis in locis Ger-  
maniae ac Galliae V. Ser. Clementiae debeant mortales, & quae  
debere fateantur, nolo ne quidem in parte attingere. Habent  
ipsimet calamos, quibus Tuam Serenissimam Clementiam in  
vita & morte prosequantur.

Via

Vniuersitatem Colonienſem ſeu ſtudium Generale illius  
Augustæ vrbiſ non debeo præterire. Id ſub Sereniſſimæ T. Clem.  
auctoramento & Cancellariatus munere glorioſiſſimè admini-  
ſtrato crevit maxime. Qui annales illius ſtudij veteres peruide-  
gunt, teſtantur nullis retro ſæculis adeo floruiſſe ſtudia in ea ur-  
be quam tuo principatu, adeo ut tempore paucorum annorum,  
quibus Præpoſiti in ea Eccleſia & Cancellarij munus in Vniuer-  
ſitate una ſuſcepit T. Ser. plures ſint Licentiati creati ac Docto-  
res, quam pene integro ſæculo antegreſſo. Nec miror. Regis e-  
nim ad exemplum ut ſcimus ſpectant ſubditi, & quoniam iu-  
uentutem ſuam Sereniſs. T. Clem. elegantiffimis diſciplinis or-  
navit & ſerenitatem ſanguinis Doctrinis pulcherrimis illuſtriſ-  
ſimam effecit, exemplum ad omnes emanavit. Extat etiam unum  
moles ferrea Sphæræ Archimedis eleganter & per T. Clem.  
ſumptuoſè fabricata, in Gymnaſio Trium Coronarum cum in  
eo eadem Clem. diſciplinis uniuerſis intendebat adoleſcentior.  
extat gratiffima illius temporis vivaciſſimaque T. Clem. aliis  
longè præfulgentis memoria, quæ etiam in eodem Gymnaſio  
ac Collegio perennabit, cui quantum benefeceris malo audiri  
ex ipſiſmet, qui experti ſunt, voce præconia conſeſſis, quam ex  
meis domeſtici ſcripto, quorum una vox eſt, dolentium ſe non  
plus dilexiſſe.

Atque hæc talia Clementiæ ac Gratiæ encomia ego aliique  
prudentes rerum æſtimatores, longe pluris facimus, quam mar-  
moria ædificiorum, columnarum & ſtatarum erecta tropæa,  
cum hæc ſint vitæ expertia, excuſſioni aquarum ignium quæ obno-  
xia, iſta vivacia & æterna, una cum animarum quibus ſunt infixæ  
& inſculpta, æternitate. In quarum numero pono iure meo ani-  
mam meam, cui ita inſcripti & inſculpi T. Sereniſſimæ Clem. æ be-  
nef. ita, quomodo obeliſci Ægyptij & Conſtanti nopolitani &  
Romani notis hieroglyphicis ſunt ex omni latere & angulis  
impleri. Hanc T. Ser. Clementiæ in monumentum æternum et-  
iam ita, uti dixi, inſcriptam tot notis, quot in hoc opere ſunt

literæ, ſtatuo & abſens humillime veneror & ad-

oro Coloniae A. 1657.

G. A. E.

CEN.

CENSURA ORDINARI.

**P**ASSIONEM SALVATORIS NOSTRI  
SECUNDUM LUCAM, *Discursibus*  
*atque exhortationibus ad fidelium*  
*devotionem augendam ab Admo-*  
*dum Reverendo, Nobili & Amplissimo D. Geor-*  
*gio ab Eyschen SS. Theol. Licent. & Metrop.*  
*Ædis Coloniensis Presbytero Canonico Seniore*  
*illustratam, atque à viris doctis laudatam, neq,*  
*fidei, neque bonis moribus quippiam contrarium*  
*continentem, typis committi concedo. Colonia. 4.*  
*Jul. 1657.*

Adrianus de Walenburch Metrop. Eccle-  
siæ Coloniens. Presb. Canonicus &  
Censor Librorum ordinarius.

T.

AVLA III.

DISCVRSVVM ET EXHORTA-  
TIONVM IN SINGVLAS SENTENTIAS  
*PASSIONIS D. N. I. Christi*  
Secundum Lucam

CAPUT XXII.

*S. I. Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. v. l.*

**V**T rationabiliter loquar, & intelligar, oportet hoc loco exponi quid sint dies Azymorum & festus dies Azymorum & Pascha. ita enim exigit Sacer scriptor, qui inter historicos sacros, est maximè historicus. Dico igitur duce scriptura Sacrà & Doctoribus, quod Christianus homo, audiens Pascha & illi affines titulos, debeat cogitare Duplex esse Pascha, vnum Figurans, quod est Veteris Legis proprium & Iudæorum; alterum figuratum, quod est Nouæ Legis proprium & Christianorum. Hæc vtraque Paschata aiunt Doctores in eo conuenire, quod vtraque significant liberationem quandam Hominum insignem & valde dignam memoriâ, adornatam à Deo, sed cum eo discrimine, quod Iudæorum Pascha significauerit Historicè seu literaliter, liberationem quandam corporalem hominum ex seruitute graui Hominum, nempe Ægyptiorum, Christianorum vero Pascha significet literaliter quandam liberationem hominum ex seruitute grauissima peccati, diaboli, & mortis æternæ. Quemadmodum vero significatione differunt, ita quoque cæremonijs differre necessarium erat, ne figura cum figurato confunderetur. Ecce pono differentias ytriusque Paschatis in cæremonijs, Pascha

A

igitur



igitur Iudæorum primigenium fuit institutum à Deo fere bis mille annis ante Pascha Christianum, in Ægypto per Moylen, qui iussit vt populi, sub Ægyptijs durissime afflicti, patres seu capita familiarum, qui tunc adhuc Iure Naturali sacerdotes erant, decima die mensis primi tollerent agnum per familias & domos suas, iuxta numerum qui sufficere possint ad eum agni totius eumque non habentem maculum, & masculum, & anniculum; Item iuxta eundem ritum tollerent etiam Hædum, alium tamen ob finem ab agno diuersum, 2. Istum agnum & concomitanter hædum debebant ijdem seruare ad quartam decimam diem eiusdem primi mensis, 3. Decima quarta die mensis primi debebat agnum immolare omnis multitudo filiorum Israel, nempe Sacerdotes seu Patres familiarum personaliter ceremonias immolantium exercendo, cæteri ministrando adessendo, consentiendoque tanquam Laici, 4. & quidem illa agni dicti immolatio debebat fieri ad vesperam, id est post meridiem, nam Pomeridianum tempus in sc. Sac. dicitur vespere, vt antemeridianum dicitur mane, 5. de sanguine agniam immolati, debebant sumere aliquid & ponere super vtrumque postem & superliminare domuum, in quibus eum essent comestari. Carnes vero agni eiusdem non truncati vel pedibus, vel capite, vel alio membro, imo ne quidem euiscerati, sed integrè assati non cocti, neque crudi, debebant comedere sequenti nocte, cum lactucis agrestibus & panibus Azymis. 6. Non debebat ex eodem agno sic præparato, aliquid seruari in sequens mane, sed quod comestum non fuisset, oportebat igne absumi, & hoc modo ossa & viscera absumebantur. 7. Debebant autem comedentes agnum his vti ceremonijs, nempe renes suos accingere, & calceamenta pedibus indita gestare, & baculos manibus tenere, & festinanter comedere. His ceremonijs peractis liberavit Deus per Moylen Israelitas eadem nocte ex seruitute Ægypti dura 430. annorum, vti sac. ser. fuse exponit.

Atque hoc fuit primigenium seu Proto-pascha Iudæorum, post quod secuta sunt paschata alia singulis annis, quæ deuteropaschata seu derivata seu orta ex primo appellare licebit, & ista erant merè memorialia istius, quod recensui, primogenij paschatis, in quibus aliqui ritus, in primogenio usurpati, fuerunt immutati, iuxta discretionem sanam. nimirum 1. *Locus*, qui deinde non fuit Ægyptus, sed Terra in qua erant Israelitæ; 2. *Sacerdotes immolatores* erant Leuitæ, nam primis familiæ cuiusque capitibus statim 1. anno Exodi seu liberationis ex Ægypto, inter Iudæos, abrogatum est Sacerdotium & datum solis Filijs Leui. 3. *Hædus* in Ægypto iussus absumi cum agno, deinceps non fuit assumptus in deuteropaschate Iudæorum, vt patet ex Iosepho Iudæo & alijs, quia iste assumptus erat in proto-paschate.

Paschate Iudæorum pro significanda aliqua re, quæ erat futurâ in primogenio Paschate Christianorum, nempe Barabbas vti S. August. insinuat. non autem in deuteropaschate eorundem, in quo nullus Barabbas corporaliter inducitur, pro agno dimittendus. 4. Sanguinis agnini aspersio in superliminibus & postibus ædium, in qua erat comedendus agnus, ommissa fuit in deuteropaschate Iudæorum, quia sacerdotio translato à patribus familiarum, ad solam familiam Leui, contracto, in angustiam non poterat fieri per totam Iudæam, maxime post Templum vnicum sacrificijs Iudaicis constitutum. Et hoc est & differentia, quod Agnus Protopaschatis Iudaici sit immolatus in ædibus singulis Israelitarum, sufficientium ad absumendum agnum (nam ubi non erat numerus personarum sufficiens ad hoc, coniungenda erat familia vicina contiguarum ædium, uti eadem scr. S. nos docet) & deuteropaschatum agnus Iudaicus immolabatur solus apud Tabernaculum, vel Templum in quo tabernaculum Domini servabatur, ut patet ex Iosepho Iudæo, & S. scr. locis aliquot. Vnde nec alibi comedebatur agnus idem, quam in loco tabernaculi seu Templi, cæteræ protopaschatis Iudæorum cæremoniæ, in deuteropaschate eorundem retineri commode potuerunt, & vti apparet retentæ fuerunt, quoniam significabant aliquid, quod etiamnum præclare in deuteropaschate Christianorum observatur.

In eorum vero locum, quæ de protopaschate Iudæorum ommissa vel mutata fuerunt, aliæ subrogatæ sunt cæremoniæ, adhibendæ in deuteropaschate eorundem, quæ in protopaschate non fuerunt adhibitæ, sunt autem istæ. 1. Ut Fermentum exterminaretur de cunctis finibus Iudaicarum habitationum, ante 14. diem mensis primi ad immolandum agnum: deputati, vel saltem ipsa 14. die, ita ut ad vesperam eius non amplius reperiretur fermentum in domibus Iudæorum moraliter, quomodo panis esse & reperiri in domibus solet. nam si alicubi sub scamno vel in muris antro lateret fermentum, id sane contra legem non erat, nisi scrupulosa explicatione. 2. In deuteropaschate Iudæorum oportebat azyma comedere à vespera 14. diei mensis primi, vsque ad diem eiusdem mensis XXI. ad vesperam quod etsi casu factum fuerit etiam in protopaschate, non tamen tunc præcepto factum fuit, ut sc. sac. insinuat, sed mero casu orta, ex festinatione, quæ impediuit fermentationem.

Atque hinc ortum est, quod paschale tempus apud Iudæos, dictum sit sæpe dies Azymorum, nempe septem dies, quorum talis cum Mense primo, seu mense Nouorum erat apud Iudæos dispositio vti tabella adiuncta

PASSIO D. N. SECUNDUM LUCAM

ostendit, in qua stellæ noctis tempus denotant, alba vero spatia cum mensuris dierum mensis lucem.

X	Mensis. Assumptio Agni qualificati.	Fer. IX.
XI	Mensis. Custodia agni assumpti	Fer. III.
XII	Custodia eiusdem	Fer. IV. Christus in Domo Simonis Leprosi Concilium de occidendo Christo, non in die festo, quod mutatum est, ope proditoris.
XIII	Custodia eiusdem	Vltima cæna Christi. Feria V.
XIV	Immolatio Agni Paschalis. Dies Azymorum.	Passio Christi. Feria VI. 25. Mart.
XV	1. Dies solennissime festus Azymorum.	Quies corporis Christi in sepulchro. Sabbato. 26. Mart.
XVI	2. Dies Azymorum	Resurrectio Domini, & Apparitiones. VI. Die Dominica. 27. Martij.
XVII	3. Dies Azymorum	
XVIII	4. Dies Azymorum	
XIX	5. Dies Azymorum	
XX	6. Dies Azymorum	
XXI	7. Dies Azymorum solennis festus.	
XXII		

In hac tabella etiam tempus Passionis Dominicæ annotavi, ut figuræ cum figura compositum illustrius appareret. Ex his apparet tertia cæremonia in deuteropaschate Iudaico obseruata, quæ abfuit à primogenio, quoniam dies xv. Mensis seu primus Azymorum & eorundem vltimus seu

XI. mensis Novorum erant solennes & festi, ita ut omnes opus in eis esse illicitum, quod licuerat tamen in protopaschate eorundem, cum 15. mensis exeuntes ex Aegypto, omnia sua & portauerint & egerint Iudæi: tam explicui Pascha Iudæorum proprium, quod magis ignotum est Christianis, & unâ explicui verba Evangelistæ Tertij, dicentis quod *appropinquauerit dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha*, nempe xv. dies mensis primi; qui & ipse est primus Azymorum dies. Sed non dixi quantum appropinquauerit mentiamur hoc ex circumstantijs, quas Evangelistæ suggerunt. Hoc modo Christus aiebat, scitis quia post biduum pascha fiet, quando concilium inibant Ierosolymis principes de ipso occidendo; Matth. 26. v. 3. & 4. Marci 14. 2. ergo xii. die mensis primi feria 1v. initum est id concilium, & illud dictum est à Domino. In illo autem concilio conclusum fuit, quod Christus tunc imminente festo non esset occidendus, ob tumultum, ut ijdem testantur, sed cito mutatum est hoc, Iuda se offerente ad prodicionem eiusdem, ut etiam insinuant & Marthæ, & Marcus. Tantum ergo appropinquauerat dies festus Paschæ, seu Azymorum, quantum à die festo aberat Iudæi offensa & oblatio prodicionis facta principibus, nam ab ea incipit hic S. Lucas passionem. Hæc vero oblatio accidit eadem feria 4. sero, vel feria 5. mane, ob sequelam historiarum; ergo ita appropinquauerat dies festus Azymorum, ut biduo distaret, quod & cæteri Evangelistæ priores expresserant.

Deus meus, agnosco miram inter tuos Evangelistas concordiam, in magna discordia. Musicam quandam nouam quatuor uocum mihi uideris dedisse Ecclesie tuæ in 4. Euangelijs, quæ ita consonant, ut humano ingenio tam discorditer concors historia scribi non posset. Laudo te Deus meus, & benedico spiritum tuum, quo dictante isti scripserunt mirabilia dictamina tua. Impleuisti, quod promissisti, spiritus paraclæti suggerere uobis omnia quæcumque dixero uobis.

S. 2. *Et querabant Principes Sacerdotes & Scriba, quomodo ipsum interficerent. v. 2.*

Si quis præcedenti §. legerit promissionem meam, quod uellem esse explicare Pascha Christianum, & scandalizetur, quod non uideat exsolutionem meam, attendat modicum, iam Pascha Christianum explicare aggredior. Christus D. N. agnus est, ut nouimus, iste ante vi. dies Paschæ uenit Bethaniam Ioan. 12. & in crastinum turba ei Ierosolymam uenienti obitiam iuit & recepit eum cum Osanna ibidem. v. 12. Ibi assumptus est Agnus immaculatus, & seqq. diebus mansit tum Bethania tum Ierosolyma & obleruabatur ab inimicis & amicis, ut patet ex Euangelistis, Ecce eius custodia

dia ad xiv. diem mensis, quo immolatus est & crucifixus ad vesperam à meridie scilicet feriaz vi. usque ad horam 9, qua mortuus est. Ecce immolatio per Sacerdotes Leuiticos, & de sanguine eius tincti sunt postes & superliminare, ostij S. Crucis, literaliter, & mystico sextu Ecclesia quæ in cælo & quæ in terra, & infra terram est; & comestus est pridie quam pateretur cum capite & intestinis, totus videlicet in Eucharistia feria v. assus igne zeli & caritatis, prout explicabo tota hac aula tertia. Atque hoc est protopascha Christianum, ex quo deuteropascha, memoriale primitiui enatum est, quod quotannis obseruat Ecclesia prima Luna verni temporis, qua etiam celebratum fuit Pascha typicum Moysis. Vide quomodo iam præstiterim ne verbum meum esset vacuum. Sed hoc generatim ita dictum sit, in specie nunc singula expendamus. ordientes ab eo quod Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant, quomodo Iesum interficerent: non erat apud hos quæretæ, *An esset interficiendus?* Nimirum hoc in eis liberum & vecors arbitrium iam concluderat, suadente Inuidia, liuore, ambitione, cæcitate cordis, solum occupabatur Intellectus in quæstione *quomodo interficeretur commedi ad inuidia propositum.*

**O** Prauitas cordis humani ! Tu quæris quomodo rem sibi propositam exequaris, & non magis & prius an debeas agere? an expediat? an fas sit? itane obliuisceris supra te esse cælum, & cæli Dominum? sed frustra surdo cantatur, frustra cæco lucerna adfertur. Horreo profundum cordium humanorum, Deus miserere, succurre. *Abyslus abyssum inuocat,* quando homo talia notat.

*§. 3. Timebunt vero plebem. v. 2.*

Quare? Ne contradiceret actibus eorum & conatibus resisteret, eo quod opera & actus Christi probaret & doctrinam acceptaret, & miracula illius ex Deo esse agnosceret, & Dei filium esse iudicaret, ut iam Regem Iudæorum proclamasset, inter festiuum Osanna, & *Benedictus qui venit in nomine Domini?* Imo timebant, ne sicuti millia pasta in deserto, ad mare Tiberiadis, raperent Iesum occidendum è manibus suis, & facerent Regem & arma caperent pro eius personæ & doctrinæ defensione. Ita & tanta illi cæci timebant, fingentes sibi idola de corde suo. Verè, verè sæua semper præsumit læla conscientia, & impij semper sunt pauidi. ita ut vnus iustus superget mille & centum decem millia, ideo quia Dominus non est cum eis, qui vbi non est, quomodo confidentia esse potest?

**O** Domine, vtinam ego peccator miserimus ita timeam & angar confiterans delicta iuuentutis meæ & ignorantias, & impænitens cor meum.

ne quandoque reuelentur peccata mea graua & confundat coram omni populo Dei. Tu Iesu potentissime qui dixisti qua hora conuersus fuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabor, da gratiam vt in reuelatione illa extrema iudicij non confundat. Timeam nunc, vt non timeam tunc.

§. 4. *Intrauit autem Satanas in Iudam qui cognominabatur Ischariotes vnum de duodecim. v. 3.*

Quia miserat diabolus iam sagittas auaritiæ & impietatis in cor Iudæ, quas improbus acceptauerat tanquam sibi conuenientes, dato consensu iam intrauit Satanas in cor Iudæ. Ischariotes autem nominat Euangelista cum vt ab altero eoque sancto Iudæ Thadæo illum separet velut scabiosam ouem à sana, ne huic afficeretur illius languor: Ischariotes autem dictus videtur ab oppido Ischariotes quod erat in tribu Ephraim, vt loquitur S. Hieron. vnum de duodecim, insinuando si inter duodecim Apostolos vnus inuentus reprobus, sequens diaboli suggestiones, sanè nobis in timore standum est continuo & vigiliam dum ne incautos circumueniat, & ad lapsus similes inducat de quibus auertat nos omnipotens in cuius fide & custodia stamus vermiculi terræ nescientes an odio vel amore digni simus.

Omnipotens & misericors Deus vniuersa nobis aduersantia propriatus excludit, vt mente & corpore pariter expediti quæ tua sunt liberis mentibus exequamur: sed & mentes nostras in prædestinatione tua examinando compesce, vt contenti agere bene, tua iudicia, cur hic stet, alter cadat non examinemus, scientes te esse & patrem misericordiarum, & iudicem iustum.

§. 5. *Et abiit & locutus est cum principibus Sacerdotum & Magistratibus quemadmodum traderet illum. v. 4.*

Peffectus à diabolo scilicet Iudas Ischariotes recessit tacens de Bethania, & venit Hierusalem ad concilium in domo Caiphæ, discipuli autem alij manserunt cum Christo in Bethania, non scientes quid Iudas maledictus intenderet, quia cum procurator Collegii esset, simpliciter credebant quod ex officio Hierusalem festinaret vt sapius fecerat. Hac vice tamen falso & insidiose gressus direxit in Hierusalem, vt faceret mercantiam pessimam scilicet vt venderet Christum Dominum suum. Et cum intrasset locum vbi erant omnes persecutores Christi in concilio congregati, locutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus quemadmodum vellent tradere eum illis pacta pecunia & pretio, dicens, quid vultis mihi da-

re &

ne & ego eum vobis tradam? Et quid aliud potuit expectari ab eiusmodi homine nisi omne malum quem iam non ratio, non pietas, non honestas sed ipsam regebat diaboli suggestio.

**O** Latro pessime, quis te mercatorem facit non magister tuus, non eius instructio; sed tua auaritia, sed tua maledicta cupiditas. Quis te induxit facere huiusmodi nundinas: nisi tua malitia: quis te induxit pretium ponere tuorum mercimoniorum in voluntatem emptorum? certe non nisi tua falsitas. Omnia ista non didicisti in schola sancta Magistri tui Domini nostri Iesu Christi. Sed docuit te magister tuus diabolus, cuius discipulum te fecisti, qui ex te Apostolo fecit latronem, mira metamorphosi, sed inter Apostatas à se de non infrequenti exemplo, & imitatione.

§. 6. Et gauisi sunt. v. 5.

Impij, cum malefacere posse se vident, lætantur, ira hi principes, inimici Christi, in eius ruinam congregari lætabantur de Iudz malevolentia, impietate, proditione & occasione offerente se tam ultionem, quasi magno bono suo, quæ tamen reuera erant magnum malum eorum. Ita sane faciunt omnes peccatores, si furti, si rapinæ, si adulterij, si homicidij in inimico patranda spes affulget micant oculi, gestiunt manus, pedibus stare nesciunt.

**D**omine Deus fateor multos ita esse dementes & vecordes, vt cum hi principibus gaudeant de occasione mali patranda, veruntamen scio & expecto multos esse etiam, qui æque imo feruentius gaudeant de occasione boni patranda, vel bene patiendi, oblata sibi. Ita certe faciebant illi Martyres tum veteris tum noui orbis qui dolebant, si Martyrij occasio eis periret, gaudebant cum adueniret, in quorum numero est merito recensenda illa Felicitas, quæ cum tempus martyrij differretur ei, quod esset grauida, est contristata.

§. 7. Et pacti sunt pecuniam illi dare. v. 5.

Expleto eorum iniquo desiderio occasionis ad malum, quid aliud expectari poterat quam & iniqua cooperatio, & offerentis tam optate rei munus compensatio. Itaque pro scelere pessimo, pacti sunt pecuniam dare, vt mercedem iniquitatis, & constituerunt triginta argenteos, & sic habuit Iudas proditor quod quærebat triginta scilicet argenteos, pro trecentis denarijs in conuiuio Bethaniensi sibi præreptis vel elapsis, munificentiariæ Mariæ Magdalenz erga Christum de qua iactura conquestus murmurat.

**A**udi pactum, audio pecuniã, & video personas Ecclesiasticas & veteris & noui Testamenti, aduerto etiam quod de re omnium Sanctissima

nempe Christo Domino pecunia paciscantur ille vt tradat, illi vt in suam potestatem accipiant? An igitur simonia, ista tractatio & simoniaci dicendi sunt tractatores? Non audeo, siquidem Simoniaci rem sacram quam emunt sua pecunia & pactis magni faciunt. Hi vero oderunt & vili pendunt. credo igitur hos omnes potius Iscariothitas appellari debere, idest homines, qui rem sacram vilipendendo. vendunt vel emunt, quales pro dolor etiam hoc tempore multi sunt, qui rebus sacris auctoritatem detrahunt & inter secularia bona reducant, confiscant, & a maiorum voluntate desectunt. Ego & Simonianos & Iscariothitas pariter damno, reijcio, & anathematizo, sic me Deus adiuuet.

## §. 8. Et spondit. v. 6.

Marcus & Lucas aiunt, quod Iudæ pecuniam sint polliciti, quasi indefinite, Matthæus determinatè asserit xxx, argenteos esse illi constitutos. An igitur primo indefinite pecuniam promissam dicemus, mox Iuda certum quid vigente xxx. esse addictos? Ita sane mundi cursus & mos agendi suadet. Etiam ita actum esse cogitare licet, quod principes pecuniam indefinite pacti sint cum Iuda, ipsi apud se xxx. constituerint, & si ita factum credamus, magna fuit Iudæ temeritas, & insana pecuniarum sitis, qui se exposuit, periculo minimam solum recipiendi monetam, vtpote pecuniam. O maledicte Iuda tanta cupiditas pecuniæ est in te, vt pro tam modico vendas pretio Dominum & Magistrum, qui te fecit Apostolum, & procuratorem suum, & se & vitam, & Apostolos suos tibi commisit alendos. Quid dicam? pecunia obediunt omnia. Regina pecunia. O ciues, ciues quarenda pecunia primum est. ista & similia sunt in Simoniacorum & Iscariothitarum Gymnasiis prima elementa.

Caveas ergo tibi quisquis es, ô Christiane, ne calefacias cor tuum incendio auaritiæ, alioquin es futurus socius proditoris, cum affecis suis, Achaz, filiis Samuelis, Saul, & Giezi, qui declinauerunt omnes post auaritiæ, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium: ideo & temporaliter puniti sunt & æternè, quorum aliqui Ducatum suum perdiderunt, alius regnum Iudæorum, tertius lepra percussus, primus etiam vitam cum dedecore amisit. Orabo igitur ad Dominum cum Propheta: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua & non in auaritiæ.*

## §. 9. Et quarebat opportunitatem vt traderet eum sine turbis. v. 7.

Opportune utique quantum ad tempus, & locum. Et tempus quidem nocturnum elegit, dies vero azymorum. locum vero extra Ciuitatem hortum Gettemani, quem sæpius visitare solebat Christus ad orandum, quo turba conuenire non consueuerant, maxime circa tempus nocturnum

B

quod



quod aptum orationi, & commodum latrocinij perpetrando omnes no-  
uerunt iuxta illud, vt ingulgent homines surgunt de nocte latrones. Oratio  
ni verò, etsi omne tempus cōgruat, matutinum & vespertinum, nocturnum  
atque diurnum, tamen quia quantalibet virtute mens pollear, quantalibet  
grauitate vigeat, carnales sensus puerile quiddam exterius semper aucu-  
pantur, hominemque distrahunt: non dubium ergo quin nocturnum tem-  
pus in quo silent omnia, ipsam rerum omnium silentium & quies quæ ani-  
mum à negotiis auocatum, ad colloquendum cum Deo inuitat, aptissi-  
mum ad eam sit quo & cœlum, de die quasi clausum, innumeris interposi-  
tum stellis, nocte aspectabilibus quodammodo aperitur. Et hoc tempus  
eruditissimus ad orandum psaltes sese elegisse testatur, dicens: *Memor fui noc-  
tē nominis tui, Domine*, & Christus Dominus non semel: *per noctem in oratione*  
apud Lucam. Eundem vsum postea Sancti viri vsque adeò sunt imitati, vt  
vetustiores ipsos Christianos partem nocturnæ quietis orationi consecra-  
re solitos legamus apud gentiles & Plinium in epistola ad Traianum. Sed  
quod Sancti orationi deputarunt, hoc ipsum impij suis nequitijs deputan-  
dum censuerunt, inter quos eminentissimus omnium Judas latronum Dux  
hoc studium vel inchoauit, vel nobilitauit, quem sequuntur, qui sunt ex  
parte ipsius.

**O** Pastor mansuetissime! & Pater dulcissime! quid in corde tuo perse-  
quisti, cum hunc lupum intrantem & exeuntem vidisti ad oues tuas, ou-  
uiserat, sed pelle contacta solum, & intrabat & exhibat inter tuos, non vil-  
lorum aliquam abstraheret, sed vt re ipsum pastorem etiam suum raperet,  
ac traderet ad mortem, ille dissimulauit ne lupus agnosceretur, tu etsi eum  
bene noueras dissimulabas tamen: ille cogitauit de tempore & loco, vbi de-  
re in mortem traderet: tu autem idem tempus & locum cogitabas ad oran-  
dum Patrem & inchoandam redemptionem Humanam. O immensa cha-  
ritas! O infinita mansuetudo! fac me quæso mitem sicut ouem, vt amoris tui  
intuitu iniurias patiā à lycanthropo aliquo forte mihi inferendas.

§. 10. *Veni autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, y. 7.*

De hoc die, quantum ad litteram attinet, dixi initio huius commenta-  
rij §. 1. cum de Festo Azymorum disserui, nunc igitur solum Tropologicum  
sensum persequar. qui sanè est fecundus, & ab Apostolo quoque digito  
monstratur. Possumus igitur Azymorum diem, qui tunc aduenisse dicitur,  
intelligere Diem illum à sæculis expectatum, nempe Redemptionis Humana-  
e. Is enim verè erat dies Azymorum, dies sinceritatis & veritatis, qualis non  
fuit à sæculo nec ultra erit. In quo sinceritas & veritas omnis manifesta est.

D. 10.

Deficit hic sermo explicando, & bonum est nobis quod iste deficiat in magnitudine mysterii. Meditati sunt sancti de hac die Azymorum à mille sexcentis annis, & scripserunt Doctores, & locuti sunt concionatores seu Prophetae & nondum exhaurerunt fundum sinceritatis & veritatis, quæ in eo est manifestata; & meditantur & scribebunt & loquentur porro in sæculorum sæcula & non exhaurient.

O Sponse animarum, Deus meus, da oro gratiam vt in meditatione Passionis tuæ deuotionem habeam, eam cum admiratione expendam, vt tuam charitatem & sinceritatem & veritatem attendens, tuis vestigijs insistam, diligendo sincere, idest ex toto corde omnes homines, tam paruos, quam magnos, tam inimicos, quam amicos, imo sic diligam vt ne inimicitiam quidem sentiam: sed adnitar, vt summa hostilitas summæ amicitiaë occasione præbeat ad omnes homines lucrificandos in eo qui me supra modum dilexit: Insuper ex passione tua discam veritatem idest mundi vilitatem, & quæcunque mundus admiratur & magnificat tecum reijciam: da vt ex meditatione Passionis Dominicæ omnes has & alias virtutes addiscam, vt hitce in dies occupatus prudentior efficiar ad maiorem semper vitæ perfectionem consequendam, quo tanquam Sponsa tandem cum Spõso meo conueniam in illo magno die Azymorum, nempe æternitate in qua nihil coinquinatum, sed omnia sincera sunt & vera.

S. II. Et misit Petrum & Ioannem dicens: euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. v. 8.

Die Iouis, scilicet feria quinta, erat Christus adhuc in Bethania cum discipulis suis & matre, tunc quasi hora prandij dixerunt ad eum Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha: vt Marcus ait siue vt Matthæus, vbi vis paremus tibi comedere pascha? humana & bona providentia vsi sunt isti discipuli, nempe Domino sollicito agente pro ipsis etiam ipsi vicissim solliciti sunt pro illo. Nec differunt in vltimam quasi horam suum studiũ, sed præueniunt, pridie se offerunt ad prandium, quod altero die & sequentibus paschalibus diebus purabant more præteritorum annorum vsurpandum.

O Deus virtutum author & gratiarum, video quam sit pulchra virtus, si subditi sint solliciti de suis superioribus & prælatis, filii de parentibus, & famuli famulaque de Dominis suis & Domicellis. Video quam turpe sit subditos velle, vt Prælati & Domini de se semper sint solliciti, & ipsi quasi in lectulo quiescant & ministrentur. Amo virtutem, detestor vitium, sed quia sine tuo numine nihil est in homine, da obsecro gratiam, vt ego & om-

B 2

nes

nes subditi, filii famulique se in ista virtute exerceant, & vitium illi oppositum detestentur.

§. 12. *At illi dixerunt: vbi vis paremus? v. 9.*

Cum iam post monitionem Discipulorum Christus Dominus duos & collegio suo Legatos designasset Petrum & Iohannem, qui ad paranda paschalia impendia irent, (vtrique nouo exemplo, cum precedentibus annis, id munus indubiè obierit Iudas Iscariothes, qui modo prodicionis consiliis occupatus erat) prudentiam quoque suam in eo monstrarunt Legati quod cæcè seu stupidè non abierint, sed de loco parandi necessaria, Magistri mentem prius requisierint dicentes: *Vbi vis paremus?*

**B**enè, benè fecistis vos Legati, qui mentem vos ablegantis Domini benè perquisistis, ut benefungi possitis officio vestro, & gratam rem præstare Magistro & Domino vestro. Ego vos nunc cum Domino beatos interpello & oro, ut mihi & omnibus Ministris gratiam impetretis, ut rationaliter in cunctis officiis & negotiis demandatis procedamus, maxime autem ut semper & in omnibus, ad mentem & voluntatem principalium nostrorū attendamus, veluti regulam, illique nos per omnia studiosissimè conformare laboremus. & Tu Dñe Iesu Christe fac, ut quæ præcipis & vis, sicut hi duo dilecti tibi discipuli, intelligamus rectè, & impleamus exactè, voluntatem nostram peruersam corrige, veram atque perfectam largire obedientiam, qua non tantum mandatis tuis obtemperemus, sed etiam consiliis atque inspirationibus tuis, sine vlla contradictione & repugnantia, obsequamur.

§. 13. *Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in Civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aqua portans. v. 10.*

Bonam vidimus prudentiam Discipulorum in quærendo, videamus nunc maiorem in Magistro eorum. Quæsierant de loco ubi pararent necessaria ad Pascha, ille locum designat, sed non sine miraculo inveniendum à suis Legatis. A deo ut, dum eos docet inuenire locum corporalem, ipse sibi ipsamet in eorum animabus locum pareret per fidei experimenta tanta, quanta nemo potest facere, nisi vel Deus sit, vel Deus cum eo fuerit. nam futurum contingens ostendit esse in sua scientia, & potestate, ut illud videntes, de cætero sibi dicturo, *Hoc est Corpus meum*, non diffidant.

**V**ideo Domine, ô sapientia æterna, quod omnia in sapientia disponis suaviter, mittis quasi in incertum dilectos tibi Apostolos, fide, amore, & obedientia insigniores, ut inveniunt quod quærant, inuenientes credant, firmius amore perficiant, quod mandasti; obedientia impleant perfectius mandatum

datam tuam. Sed quid est, quod Dominus, qui omnia contingentia habebat parata ad obsequium, ex omnibus illis, hominem portantem lagenam aquæ elegit. Non est hoc sine sapientia summa factum. In figura ostendit, quid postea veller in Ecclesia sua seruari, nimirum mundationem, suo paschatipræmitti, ut non sumatur ad damnationem, quod est datum ad salutem.

§. 14. *Sequimini eum in domum, in quam intrat. v. 10.*

Famulum scilicet, qui amphoram aquæ portabit in domum domini sui, sic nos si cupimus dignum & aptum parare in anima locum, quo corpus Christi in Sacramento excipiamus sequi debemus hunc famulum per quæ humilitas cordis significatur, qui est signum pœnitentiæ, humilitatis, contritionis, præparationisque per fidem, spem & charitatem, tunc enim potest rationabiliter ad animas nostras intrare potestas Apostolica, quæ est limitata ad remittenda peccata, quia debet exercere iudicia, super sedes duodecim tribuum. Alia est potestas Christi. Intrat ille in domos cordium humanorum, in quacunque dispositione, si ei lubeat, Apostoli in certo signo signatas solum, & ibi parant pascha. Sed quomodo, mi Iesu, dicis, *sequimini eum* alium quam te? nunquid vocando eos ad Apostolatam & alias dixisti? *sequimini me!* sicine de vno ad alium mittis tibi deuotos? ita est, sed omnia prudentissime propter electos, *sicut enim me misit viuens pater, & ego mitto meos ut operentur gloriam meam, & sicut mihi mandatum dedit pater, & ego mandamus, si, ut ego obedui patri, & facta quæ placita fuerunt ei semper, ita meorum est discipulorum meis obedire mandatis, & sicut laborum mercedem ego capi meorum, ita illi in æternis habitaculis fuerum laborum apostolicorum premia reportabunt.*

Domine ad quæcunque mittis tibi dilectos Apostolos pergunt sine contradictione, imo cum læticia, ut voluntatem tuam, & iussum implete possint, & in hoc inveniunt consolationem, non sicut quidam inobedientes, qui propria voluntate deligunt sibi tempora, loca, solatia, ubi tamen postea inveniunt se omni consolatione destitutos, sed boni obedientes eunt ad terras quasi desolatatas, & tamen inveniunt se sibi consolatos, quia *vir obediens loquetur victorias*, uti dicit sapiens. Obediam igitur semper Deus meus ut præter consolationem dulcedinis tuæ, etiam victoriam de insidiantibus mihi obtinere valeam, per te Iesu Christe saluator mundi

§. 15. *Et dicitur patri familias domus. v. 11.*

Quis autem hic fuerit pater familias? quidam curiosè scire desiderant, sed opinandum est, id è scriptura dictum iri, si hoc magis nobis profuisset, videretur fuisse vir honestus, & diues, amplas habens ædes & ut videretur ami-

cus & discipulus Christi. Suspicio est hanc domum fuisse *Ioannis*, qui cognominatus est *Marcus*, fuitque socius Pauli & Barnabæ in profectioe & prædicatione Euangelii; in hac eadem domo credibile est latuisse Apostolos post necem Christi, ibique Christum post resurrectionem suam ipso die paschatis vespere apparuisse: ibidemque orantes recepisse spiritum sanctum in Pentecoste; & Petrum è carcere Herodiano liberatum ab Angelo ad fideles in hac domo congregatos sese recepisse, idcirco quod iam tum hæc domus verita esset in Ecclesiam, sub titulo Mariæ Matris vti videtur insinuat Actor. 12. 12. quæ si ita sint. vti piè credi potest, sane valde honorandus est iste Ioannes Marcus, cuius domus à Deo electa est, vt esset prima Christianorum Ecclesia, in qua maxima & patrata sunt mysteria, & quæ facta est prototypon omnium Ecclesiarum. 2. Colligo quoque quis sit vltus Ecclesiarum, nempe sacramenta in eis administrare, baptismi, & pœnitentiæ, (per aquæ illatione signatorum) item Eucharistiæ & Ordinis, (quæ ipsemet Dominus in hac prima Ecclesia administravit) item Confirmationis, quod in die Pentecostes capit fieri. Denique prædicare, quod fecit S. Petrus, & orare, die ac nocte, quod fecerunt, qui Act. 12. recensentur. 3. Dedicaciones Ecclesiarum sub titulis SS. maximè B. M. V. esse ab Apostolorum tempore in usum indutas.

**D**omine Deus meus, anima mea, quam dedisti mihi, paterfamilias est domus corporis mei, vt me domum vel templum tuum gubernet & regat ad gloriam tuam. Ecce illa tibi offert me lubens & aperit, venias ad eam, & iube parari tibi pascha per tuos Apostolos & eorum successores. Hic dignare sæpe celebrare pascha, fac vt ad me descendat spiritus sanctus, meque consecret sibi templum sanctum omnibus diebus vitæ meæ.

*§. 16. Dicit tibi Magister. v. 11.*

Quia se Dominus nominari curavit Magistrum apud Patremfamilias domus, signum certum videtur hunc Patremfamilias vnum fuisse ex Christi discipulis. alias dubium fecisset signum Christus, & qui hoc audisset, ambigeret quis ex tot legis Magistris ac Doctoribus id iuberet. nam & Gamaliel & Nicodemus in diebus illis magni erant Doctores in Israel. Cû ergo se absolutè Magistri nomine indicat paterfamilias, certè is Magistri huius claræ & excellentem habuerit notitiam.

**D**eus meus, multos habemus Magistros in mundo hoc, sunt enim in singulis opificiis, qui in eis excellunt Magistri, habentes ius & authoritatè manuducendi ad artis suæ scientiam. & sunt Magistri in Academiis, tam Artium quam Partium, & tam Legum, quam Receptorum: sed non est talis *yllus,*

Nullus, qualis tu es, Magister. Illi de terra sunt & terrena sapiunt, atque terrena docent, nisi ex tua disciplina prodeat, Tu de caelo es & caelestia doces, ubi alii desinunt, ibi tu incipis. Et cum fuerit homo apud alios Magistros consummatus tunc apud te primum elementa ponere habet necesse. Hoc fecit Nicodemus, hoc Gamaliel, & qui non fecerunt, hi in sua vanitate perierunt. Idcirco ego quoque ad tuam scholam & disciplinam accedo, ubi discitur gratia, virtus & sapientia. Hæc adhæreat visceribus meis, mitissime fili Dei in honestissima schola tua, vbi sitis sciendi sedatur dulcissimo potu aquarum quæ fluunt cum silentio.

§. 17. Vbi est diuersorium? v. 11.

Diuersorium locus est vel ad hospitandum vel recreandum, vel comedendum deputatus. Is more patriæ Iudæorum sursum eleuatus erat intradomum, vti culina depressa, vti pote magis sordidis occupationibus destinata mansio seruorum & ancillarum: quanquam sæpe etiam pro toto complexo mansionum domui alicui necessariorum, vti Luc. 2. cum deascente Domino dicitur: non erat ei locus in diuersorio, qui igitur nascens diuersorium habere non potuit in Bethlehæm, nunc moriens, iterum diuersorium quarit, & qui tunc non inuenit, modo inuenit, quia iam tum vincendo mundum per 33. annos, illud promeruit.

**E**Rubesco Domine quod sæpius in corde meo non inuenieris vbi pascere, & vbi cubares in meridie, ob peccata mea, quæ stabulauerant in eo, & præ fœtore te excludebant: sed misisti gratiam tuam, discipulos tuos Sacerdotes ante te & præpararunt stratum tibi gratum in eo. Amplius iam non occludetur, sed apertum manebit tibi tuisque, quoties & quoties placebit ad id diuertere: veni ergo Domine & noli tardare.

§. 18. Vbi Pascha cum discipulis meis manducem, v. 17.

De paschate iam dixi in r. §. huius Commentarii Tertii vbi duplex pascha designauit, videlicet Iudaicum & Christianum & vtrumque subdistinxit in primitiuum & primi memoriale. De quo igitur hic paschate loquitur Dominus: Ego de vtroque & Iudaico memoriali, & de primitiuo Christiano paschate video esse intelligendum hoc verbum, de Iudaico & discipuli & paterfamilias intellexerint, de Christiano Dominus, sciens quid ista vespera esset facturus: nempe nouum pascha Nouæ legis, vetus pascha terminans.

**D**omine deus video quod idem verbum tu sæpe locutus sis & homo ex te acceptum sit locutus, sed aliter illud tu sæpe intelligis, quam intelligat homo.

homo. Tu sapienter & caelesti modo. Homo autem miser terreno modo, & infirmo. Et hinc est quod eandem scr: sacram habentes, tot hodieum habeamus explanationes. quid autem faciemus hoc scientes? & ambiguitatem suspectam metuentes? suadeo ut ad operantem te attendamus, & ex factis tuis, sensum tuum interpretemur. ista clara sunt, esto verba, more suo & natura, sint obscura.

§. 19. Et ipse vobis ostendet cenaculum magnum stratum. v. 12.

Video miram conuersionem rerum. Iste Dominus qui intrauit in mundum non potuit habere loculamentum aliud quam foedum stabulum, nunc migraturus ex hoc mundo accipit magnum cenaculum, & quidem stratum! aulæis, ac tricliniis lectulisque apparatus. Quid hoc est Domine, amator paupertatis, vis tu prædicator paupertatis acceptare tale cenaculum non times vt scandalizentur in te plebei homines, & cogitent? Iste dicit, *Beati pauperes quoniam vestrum est regnum celorum* & nunc ipsemet in cenaculum grande & stratum diuertit! quomodo à nobis plebeis, & egentibus, & angustiatis & laceris & verminosus recedit ad diuites & opulentos, & rapetiis, aulæis, puluinaribus atque omni ornatu stratis incipit delectari? vel salutem hæc acceptare, & admittere audet? & non times notam!

**D**omine Iesu Christe, bono sum pro te animo, & respondebo exprobratibus tibi verbum, verbum stultum. nam tua actio, debet nobis esse informatio. ita iudicare debemus, quod omne id quod tu facis, quod tu permittis, sapientissime fiat & permittatur, neque debemus te vel verbis tuis vti contra te. Fateor quod mundum ingressus es pauper, & tamen cenaculum grande admittas, sed hoc admittendo paupertatis exemplum non dimittis, in alieno quippe diuersaris, precario illud incolis, sed cur precario tam splendidum admitterbas vel ad horam? vtrique monstraturus quid deceat nos Christianos præstare sanctissimi Corporis tui sacramento, in missa conficiendo, & in altari conseruando pro ægrorum & sanorum solatio. Deceat nos magnificentissimas basilicas, templa, altaria, tabernacula, cum præstantissimo apparatu comparare, & tibi offerre, etiam si ludas & qui cum eo sint murmurent, & pauperibus posse impendi garriat. Laudo igitur vos o Christiani, qui templa & altaria Dñi magnificentissima in omni genere ornamentorum, auri, argenti & telæ & purpuræ & gemmarum adornastis, & etiamnum adornatis, apud vos facit pascha Christus cum discipulis, etiam si murmurent qui foris sunt, & cum possunt donaria Domini sibi diripiant: Pergite vos ornare, etiam si illi intendunt spoliare, merces & defensio vestra apud Dominum est,

§. 20. *Et ibi parate. v. 12.*

In loco sublimi, alto, bene strato loco, uti dictum est, & ita decet nos Christum honorare, etiam si ipse non præcipiat, sicuti seruum decet astare Domino suo capite aperto, & cum mandatum accipit genuflexo, aliterue obsequium monstrare, etiam si Dominus ipse non præcipiat trunco: Adstrato mihi aperto capite, genua curuato &c. Rustici sunt qui talia præcepta vel exigunt, vel somniant. Hi ad exactorum ergastula potius pertinent, & Galeis digna ingenia consecuti sunt, non aulis & curiis adscribenda nomina. Bene autem additur nobis, etsi enim sine hominum usu Dominus noster Iesus Christus, dignus erat omni apparatu & honore templorum & altarium, iste tamen ita à Domino admissus est, ut suis vnà seruiat & plus fere, quam Domino. non enim ille indiget manu factis, sed nos, ut eius magnitudinem & dignitatem ex ditissimo ac ingeniosissimo apparatu æstimemus, dum tantas in templis opes & apparatus videmus, quantos nec Reges nec Principes habent in suis aulis.

**D**omine Deus meus accedo ad sensum tuum & iudicium Ecclesie tue, quæ te, à temporibus cænæ tuæ vltimæ magnificentissimo loco sumptuæ semper voluit magnificè in templis & sacellis coli & conseruari die ac nocte. Ecce ego pro modulo meo quoque impendi de meis rebus quæ facerent ad decorem domus tuæ. Accipe illud tam gratiose, quam benigne cænaculum grande stratum admisisti.

§. 21. *Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis. v. 13.*

Qui missi erant, Petrus scilicet & Ioannes, ut domum & hospitem præueniente dexteritate & diligentia sua curarent ad imminentis paschatis solemnitatem agendam, euntes inuenerunt omnia sicut eis prædixerat Iesus, nempe hominem occurrentem in ciuitate & amphoram aquæ portantem, demùm intrantem in eaque patrem familias paratum ad suscipiendum bonum magistrum suum cum Zachari gaudio, offerentem ei cænaculum magnum stratum & ornatum variis aulæis & lectis, &c. apparatu perquam magnifico.

**B**enedicti vos à Domino discipuli Petrus & Ioannes, vos obedistis mitenti vestro Domino, propterea & inuenistis. Magnum bonum est humilis obedientia, quæ etiam nesciens grandia patrat miracula, & ego obedientiæ & humilitati me dedam, ut merear inuenire, quæ Dominus ostendit, & promisit. Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris, & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas: præsta auxilium gratiæ tuæ ut in exequendis mandatis tuis & voluntate tibi & actione placeamus.

G

§. 22. *Hæc*



## §. 22. Et parauerunt pascha. v. 13.

Cum ista verba confidero, non parum angor, quod sit illud pascha quod isti duo Legati Domini apparasse dicuntur. nam si de agno paschali sit sermo ille intelligendus, quasi eum apparassent paulo post venturo Magistro suo, in grandi cœnaculo, grandis occurrit objectio, quomodo isti homines, non ex tribu Leui nati, potuerint immolare agnum, cuius immolatio ad solos Leuitici generis viros pro toto Israele spectabat, vti ex sc. sacra post primum annum Exodi spectasse est perspicuū, & Iosephus Iudæus de suis temporibus narrauit vtitatum fuisse. Accedit quod ista dies, nempe Feria v. & XIII. dies mensis primi, in quibus missi fuerunt isti Legati, non erant per legem Moyſis apti, vt in eis pararetur paschalis agni sacrificium, hoc enim debebat fieri 14. die mensis ad vesperam, sequente 15. die solenni Azymorum, vti ex eadem Scrip. Sac. constat. & in Passione Domini secundum Ioannem ostenderetur. si vero de alio sacrificio paschali sermo iste intelligatur, eadem recurrit difficultas, quomodo, qui Leuitici generis non erant, sacrificium Leuitici ordinis proprium peragere potuerint. Restat ergo, ut dicatur pascha à discipulis Domini, qui non erant Leuitici generis, paratum fuisse, eo sensu, vt apparauerint ciuilia, quæ ad dies Azymorum seu Festum paschæ transigendum in ea domo Collegio Christi erant necessaria, inter quæ etiam erant ea, quæ Christus Dominus vesperi assumpsit ad suum Nouum pascha, Christianorum primum, celebrandum nempe panis & vinum, etsi ipsi discipuli apparatores non intellexerint intimè id, quod à se parabatur, esse materiam paschatis primi Christiani. sic enim verificabitur sine omni difficultate sermo ab Euangelista propositus. Veruntamen in hac grauiore quæstione, cuius definitio ad S. Ecclesiam spectat, & quæ apud SS. PP. & Interpretes controuertitur, ego priuatus homo acquiesco Ecclesie omnia diiudicantis iudicio, & fructum propositum elicio, nempe obedientiam promptam in Discipulis, honestatem magnificam in Christi Domini actis. non enim, alias humilis, egenus & pauper, in Sacramenti sui institutione voluit esse abiectus & vilis, sed gloriosus & magnificus; quippe qui & duos primarios ex Apostolorum Collegio ad apparandum suum pascha primum præmisit, & cœnaculum grande ac stratum adhibendum ordinauit, & hominis præpotentis domum ad id, assumpsit; &, verbo, splendide, cuncta secuta peregit.

**D**omine Deus meus, Jesu Christe, ego, quod ad me attinet, paratus sum viliter vestiri, simpliciter in cibo & potu tractari, atque habitare etiam infra status, ac generis mei conditionem, sed quando agitur de sacrificio Corporis & Sanguinis tui, seu paschate tuo, ibi imitatione tua semper debo

debo esse magnificentissimus. Itaque templa, altaria, calices, mappas & reliquum apparatus volo secundum Canones Ecclesiasticos esse magnificentissimum, ex auro, gemmis, serico, argento, aurichalco. Verbo, quantum potero tantum audebo. Tu da mihi & omnibus Christianis, ut ad tuam compensandam humilitatem exhibitam olim, omnia magnifica tibi nunc impendere magnificentissimo ritu & caeremoniis allaboremus. etsi alibi in sumptu deficiamus, ibi nunc parcamus.

§. 23. *Et cum facta esset hora discubuit. v. 14.*

Jam Discipulorum duo principes, tanquam Christi aulae praefectus & Magister apparauerant pascha Domino nostro, & honorifice excepturi venientem & inducturi eum reuerterant, cum Patrisfamilias famulatu obuia missio, qui Dominum inuitarent, & ei offerrent obsequium. Jam etiam Dominus N. Jesus se excipi passus erat, & humanissima conuersatione exceptus excepterat etiam ipse excipientes se; cum ipse seorsim cum suis in caenaculo sibi parato, ea vespera, velle caenare ostendit patrisfamilias, vti solent Magnates quoque ordinare de se & suis, recusando esse in concursu plurium conuiuarum, cum in hospitiiis commorantur. Atque ita Dominus in caenaculum illud paratum secessit, Domino Domus omnia impendia praestante, & per certos ministrante in caenaculo, cum magna accuratione, & inspectione ne quid deesset. Nec est dubium, quin ingressus Dominus N. Jesus, osculo cum Apostolis sit exceptus, & balneum pedibus oblatum sit, antequam ingrederentur proprium caenaculum. Ibi igitur omnibus apparatus discubuerunt ad mensam, more orientali in lectulis tricliniaribus, cum hora caenae aduenisset, quae erat communiter prima noctis, propter quod etiam hic absolute dicitur hora facta fuisse.

**H**aec contemplans, rogo te Dmoine, exorna me quoque moribus condecoris & decoris, foris, & intus tibi para caenaculum ex corde meo apparatus spiritus sancti donis, in quo habites, discumbas, & cuncta ordines ad tui satisfactionem, & ibi vinculis amoris ita tibi astrictus haeream, ut nihil cogitem, dicam, vel agam, nisi quod cedat ad maiorem tui gloriam, ut dignus aliquando inueniar caelestibus interesse confessibus & mensis.

§. 24. *Et duodecim Apostolicum eo. v. 14.*

Quae apud bene moratos homines consuetudo est, maxime Magnates, ut hi primo suaque sponse considerant ad mensam, deinde eos, quos adhibere volunt, ordine iubeant ad sidere secum, eam quoque obseruantiam bonorum morum in Christi Domini aula obseruo seruaram, nam diser-

C

re

tē ait historicus. *Et duodecim Apostoli cum eō*, quasi Domino iam recumbente aduocatos.

**B**ene, bene Domine Iesu, non enim tua schola, vel tua aula deterioris est conditionis, quam Regum & Principum & Magnatum aula, in quibus rationabiles & boni mores seruantur. Laudo te Domine Iesu quod Ecclesie tuæ Catholicæ Romanæ optimos mores donasti, & spiritum malorum morum & rusticorum procul ab ea repellas, in hoc agnosco tuam esse ecclesiam cum tuos mores & illius inter se compono.

S. 25. *Et ait, desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum  
antequam patiar. v. 15.*

Christus Deus noster iam sæpius cum discipulis agnum figuratum paschalem comederat, iuxta consuetudinem Iudæorum; sed nunquam hoc quod modo pararat, de quo & ait *desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, nam hoc erat primum pascha Christianorum, multo melius agno assato & pane azymo, & agrestibus lactucis. Itaque hac in cæna pro vmbra & figura erat proditura veritas & figuratum, nempe Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, comedendus, sub specie panis & vini, a discipulis tunc præsentibus & postea per Apostolorum traditionem à secuturis. Intendebar igitur Dominus in hoc paschate, cæremonijs & veteris legis figuris valedicere & finem imponere, & omnia Noua facere pro sua Ecclesia, nempe Nouum Sacrificium, novos sacerdotes, nouum altare, nouam Ecclesiam, nouam Doctrinam, noua sacramenta, Omnia noua. Veruntamen non sine magnis suis quoque incommodis, quæ amor faciebat, ut non sentiret, ut sic vere dicere posset: *desiderio desideravi hoc pascha*. nam quod plurima incommoda in hoc paschate Christo Domino instarent, à nullo negari potest, non dico ob sequentis noctis & diei passionem solum, sed magis ob ea quæ Christus in ipsa cæna gessit, in qua corpus suum, mortale adhuc, ita compressit, ponens illud sub specie minuti panis & vini, ut penetrare se mutuo omnia membra debuerint, nimirum auris aurem, manus pedem, caput ventrem, quæ compressio in mortali corpore sine dubio fuit plane dolorosissima, & dolentior ipsa passionis totius ab alijs iniuriarum acerbitate. Accedebat quod Idem Dominus sese constituens sub specie panis & vini, se ipsum exponebat ad omnes indignitates & iniurias tolerandas, quæ isti panis & vino per totum orbem tractandis obuenire possent, quæ omnia sunt inæstimabiliter graua, & tamen suscepta ab eo, ut mirum non sit, tanti meriti esse Sacrificium missæ, quanti illud ab Ecclesia Catholica vere æstimatur, nempe infiniti.

Sed,

Sed, ô benedictè Iesu, quanto ampliore quam tu gaudendi occasione habere debent ex hoc nouo tuo paschate Christiani, qui edunt, quod tam gratiose eis cōtulisti! tibi hic esus potius doloris & tristitiæ causâ esse debebat quies ipsiusmet agnus tam crudeliter excoriandus & mactandus varijs tormentis & cruciatibus? video igitur, ô bone Iesu, hoc tui desiderium ex summo erga nos affectu procedere, & meum tibi commodum potius esse cordis; quam dita tua passio: maiusque tibi oriri gaudium ex mea salute, quæ trahit originem ex tua morte, quam dolorem ex cruciatibus ad mortem vsque duraturis. O desiderate cunctis gentibus quanta patet differentia inter tuum & nostrum desiderium; quantum exsuperat amor tuus amorem nostrum! Sanctorum animæ in cœlis vnice desiderant faciem videre tuam, vt inde suam hauriant salutem; patres quoque antiqui tuum præstolantur aduentum è cœlo ad terram, vt suscipiant misericordiam tuam, & gratiam & suam felicitatem, Tu vero nobiscum esse desideras, vt tormenta patiaris & mortem. ô amor!

O Christe Iesu amor meus, qui verus es agnus & immaculetus, admoneo te nunc amoris illius ardentissimi, quo ante quam patereris & diuinum Corporis & sanguinis tui sacramentum institueres, dicens: *desiderio desideravi pascha*. Et ego in tui æstuantissimi desiderii vnione, cordis mei tibi reuelo desiderium, & desiderio magno desidero hoc pascha manducare tecum. desidero in virtute escæ huius cælestis mihi propositæ tecum vnum quid fieri, de tua præsentia exhilarari, & à complexu tuo nunquam separari. Aufer nunc à me piissime Iesu quæcunque tibi displicent in me & spiritum mihi nouum infundere, tuo cum aduentu digneris, vt in vitia antiqua non relabar neque mihi præualeat amplius inimicus, non mundus me decipiat, non caro pervertat. Da Domine cor meum cor tui amans & sitiens, cor immaculatum, & in amore tuo feruidum, recedant vetera, noua sint omnia & compone de cætero omnem vitam meam, secundum optimum beneplacitum tuum, vt quæ tuæ voluntatis sunt & gloriæ, ea sciam & requirâ, ac omni cum feruore perficiam. Iesu dilectissimi me restaura me nunc totum in te, & sanctis virtutibus, bonisque operibus me sæcunda, vt tibi per omnia placeam, tibi soli deseruiam, & sit in te requies mea in sæcula. Amen.

§. 26. *Antequam patiar. v. 15.*

Licet Christus Dominus, à puncto Incarnationis ad extremum vitæ, continuo passus fuerit, vt testatur Eminent. S. R. E. Cardinalis Robertus Bellarm. & alii, qui sic super psalm. 87. loquitur. Ne putarent homines Christi passionem trium horarum aut vnus diei tantum fuisse, reuelat hic nobis

C 3

spiritu-

Spiritus sanctus. Christum in diebus carnis suae nunquam sine passione vixisse, nam praeter calicem mortis amarissimae, quam semper ante oculos mentis habuit, in omni aetate sua, in laboribus & aërumnis fuit. Interna porro crux fuit perpetua, tum ob peccata nostra, tum ob laesionem gloriae Dei, tum grauitatem à se vtraque de causa tolerandorum cruciatuum sed dolor, quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longe maior fuit & intentione & aestimatione, quam vllus dolor, qui in hominem cadere possit, dispensatoriè autem factum est, ne vis eius in corpus se proferret, nisi quando & quantum Domino videretur: hic autem loquitur de securura trium dierum vsque ad mortem crucis passione abiectionissima & acerbissima. Abiectionissima ratione loci, temporis & consortii, viuacitatis, generalitatis, & diurnitatis. Loci ratione quidem, quia in ciuitate famosa & celeberrima Hierusalem quae erat Regum & Pontificum sedes, adeoque in medio terrae passus est, cuius accessu turpissimum genus mortis vehementer est exaggeratum. Ratione temporis, quia passus est in die solemnè paschae quando ex omni Iudaea populus ad Hierusalem confluxerat: Denique ratione consortii quia crucifixi cum eo erant duo latrones, vnus à dextris alter à sinistris, pessima intentione Iudaeorum. Ratione etiam viuacitatis, nam vt dicit S. Bonauentura erat in Christo maxima complexionis aequalitas & viuacitas sensus, vnde quia nullus potuit ei aequari nec in aequalitate complexionis, nec in viuacitate sensus, dolor illius fuit omnium dolorum acutissimus: Ratione autem generalitatis fuit dolorosissima Christi passio, à planta enim pedis vsque ad verticem, non fuit in eo sanitas, passus enim fuit in omnibus membris & in omnibus sensibus. in capite passus est pungentium spinarum coronam, arundinis percussione & capillorum depilationem: in facie passus est sputa foedissima, alapasque derisorum: in manibus ac pedibus passus est fixationem clauorum, in ore passus est amaritudinem felle & myrrha inquinati vini, in toto corpore passus est flagella verberantiū. Ratione diurnitatis: nam licet ab utero virginis in qualibet aetate pauperem vitam gerens passionibus, laboribus, vigiliis, peregrinationibus, praedicationibus & huiusmodi sanctum illud corpus exposuerit; tamen vltimo tempore charitate feruentissimus voluit intemperantissimis poenis baptizari die ac nocte.

**O** Iesu fili Dei benedicti, o saluator piissime & quis tibi non comparatur in tantis laboribus & aërumnis: quas tam breui verbo exprimis, quasi ludus & saltus vnus solum esset, id quod eo exponis. Nō est ita breue quod patiendi voce vnica inculcas, quam breuiter sonat, deprecemur ergo eum, vt breue verbum in nos effundat, & participes nos efficiat passionis & mortis suae, ita vt meritis ipsius habeamus vitam illam, quam sua morte recuperauit

peravit in qua regnat gloriosus per infinita secula seculorum Amen.

§. 27. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec  
impleatur in regno Dei. v. 16.

Norandum hic diligenter quod dicit Dominus, quia ex hoc non manducabo illud, quidem est *illud*; & quid est quod noratur particula *ex hoc*? scio quod quidam ita accipiunt ista, vt *ex hoc* indicet vas aliquod, ex quo edebatur, & *illud* indicet substantiam Agni paschalis ex vase ededi. ac si Dominus diceret: iam non amplius edam agnum Typicum, & figurantem ex paropside vti feci hactenus, donec agnus paschalis ille figurans sit impletus exhibitione agni Dei, in regno Dei, seu Ecclesia Christi comedendi. Scio inquam ita posse exponi. Sed qui ita volet exponi, laborabit, multum vt ex Evangelico textu Agnum Mosaicum in hac vltima cæna, in mensa demonstrabilem appositum fuisse, demonstrat. Alii ergo exponunt ita vt *ex hoc*, non locum demonstrat: sed tempus, quasi diceret Magister, Ex hoc tempore fiat Epochæ, seu initium computandi, illud quod dico, nimirum non manducaturum me amplius Pascha Iudaicum, quod vos in phantasia habetis, audito sermone meo de desiderio paschatis huius manducandi, illud enim non amplius manducabo vobiscum, occidendus antequam illud sit manducandum, veruntamen manducabo illud pascha quod vos apprehenditis, si intelligatur verum & Mosaico agno figuratum, quod in regno Dei, iam iam inchoando, manducabitur in secula. Hæc expositio mihi conueniens videtur, quia representat quid fuerit in rudi tunc temporis Apostolorum intellectu, qui nesciebant aliud pascha, quam Mosaicum carnale.

**R**Abbi, tu es Rex Israel, tu enim verè regnas in hominum mentibus, quas & penetras & sanas verbo tuo: Ecce enim Apostoli carnales erant, apprehendebant te magnopere hoc pascha desiderasse, quod ipsi nouerant, Tu autem potenter ingrederis mentem eorum stupidam, cognoscis cogitationes eorum erroneas, verbum applicas, & sanas, & ad spirituale pascha eos incipis manuducere, quod in Ecclesia sua Catholica indies celebratur, Domine Deus meus, præueni seruum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, vt ad tuum magnificentum Sacramentum digne ac deuote merear accedere, Excita cor meum in te & à graui torpore exue me, visita me in salutaris tuo ad gustandum in spiritu tuum pascha quod in sacramento tanquam in mysterio fidei latet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium & ad credendum illud indubitata fide me roborata. Est enim operatio tua, non humana potentia: tua sacra institutio non hominis adinuentio: nec ad hæc capienda & intelligenda quis idoneus per se reperitur, quæ  
*Aug.*

Angelicam etiam subtilitatem transcendunt: Quid ergo ego peccator indignus terra & cinis de tam alto sacro decreto potero inuestigare & capere? Domine in simplicitate cordis, in bona firma spe, & in tua iussione ad te cum spe & reuerentia accedam semper, & vere credam, quia tu Agnus Dei es præsens in sacramento, Deus verus & homo verus.

§. 28. *Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & diuidite inter vos. v. 17.*

Paulo ante de Mosaico paschate, & agno eius dixerat, se id non amplius celebraturum vti figurans, sed figuratum & verum in Ecclesia Dei, ipsa est enim regnum Dei, secundum illud, *regnum Dei intra vos est*, ergo confestim zelo sumpto, regnum Dei inchoaturus calicem vini accipiens veterem legem & testamentum terminaturus honorifice, ante regnum novum Dei, gratiarum, ubi vocant, haustum, seu terminalem proponit, & præiens conceptis verbis Deo patri omnipotenti, pro cunctis in veteri lege exhibitis donis gratias egit, & omnes singulosque, ex eodem poculo, gratiarum haustum mandauit libare. & sic cum honore Testamentum illud in feretro deposuit, non dampnandum, sed seruandum, tanquam id quod olim valuisset & magno in honore fuisset, & eatenus adhuc in honore maneret.

**D**eus meus omnium Magister, tu testamentum vetus cum honore deposuisti, non cum contumelia uti Lutherus & alij quidam sectarij. Habent igitur illud etiamnum tui Catholici in honore, & inter prædicandum de eo præferunt testimonia, & implent verbum tuum, qui prædixisti, quod in tua Ecclesia essent futuri Doctores, qui de suæ sapientiæ thesauro essent prolaturi Nova & Vetera. Hi sunt veri tui prædicatores, qui nostrum testamentum reiiciunt.

§. 29. *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat. v. 18.*

Iterum inculcat Magister discipulis iam iam imminere Exordium regni Dei, dum ait se non bibiturum de genimine vitis nisi primum manifestetur regnum Dei, & tamen iubet eos terminalem haustum facere super veteri Ecclesia tam cito ut non diuisim voluerit infundi vinum, sed de vno omnes participare infuso.

**V**erissime comedebat te, mi Domine, zelus Dei, cum hæc dicebas & hæc agebas, cum discipulis tuis. videris mihi fuisse ignis confians, quia discipulos tuos confias & in unum redigis sensum, ut pariter vetus Testamentum seu legem Mosaicam professorio haustu favoris testentur, ex uno calice & vno infuso bibentes, & novum Testamentum confestim ex-  
pedent.

pectent. Laudo nunc Deus sapientiam tuam & bonitatem & disciplinam. Doce me quoque semper vnum sentire & loqui cum his qui in tua Ecclesia sunt Doctores constituti.

§. 30. *Et accepto pane. v. 19.*

Iam cum honore terminatam vidimus veterem legem & vetera sacrificia & cæremonias, & ecce confestim exortitur Regnum Dei, instituitur veneranda altaris Sacramentum Nouæ legis sacrificium, ordinantur sacerdotes, disponitur regnum Dei, vti per singula videbimus enucleantes. At tamen hoc loco pullat dubium, nihilne moræ inter veteris legis abrogationem & Nouæ exortum intercesserit? Ego Dominum à mensa surrexisse, præcinxisse se, & misisse aquam in peluim, & pedes discipulorum lauisse, & ea quæ Ioannis cap. 13. vsque ad versum 16. commemorantur, gesta fuisse contendo. Tum post humilitatis commendationem, & exemplum datum, à se, commendatum discipulis, statim apertum esse regnum Dei *accepto pane* & c. vti mihi commemorat Euangelista: & peracta communionem & Sancta colloquutione discessisse Iudam è mensa, ut refert Ioan. cap. citato à versu 16. ad 30. Illo digresso ad facinus statim secutum esse sermonem admirabilem Domini in cænaculo, à Ioanne cap. 13. a. v. 30. per cap. 14. 15. 16. ac 17. descriptum.

**D**omine considerans opera tua exauesco & lætor, exauesco ad sublimitatem & maiestatem, lætor videns humanitatem operum & virtus & verborum tuorum. Deus meus es tu. in te gloriabor. stabo & attendam quid facias cum accepto pane illo, in quo Regnum Dei aperire & reuelare cæpisti.

§. 31. *Gratias egit. v. 19.*

Accepto pane, in *Sanctas ac Venerabiles manus suas* (uti loquitur Canon Missæ Romanus à S. Petro Apost. ordinatus) Dominus Iesus primam Missam inchoaturus coram Apostolis suis, cæremonias certas elegit, sub quibus hanc primam missam suam celebraret, sacerdos ille in æternum secundum ordinem Melchisedech constitutus à Patre æterno. Sicuti autem fuerunt aliæ quædam cæremonie constitutæ à Deo per Moysen, quibus celebraretur primum pascha in Aegypto à Iudæis, & aliæ cæremonie, quibus celebrarentur Deuteropaschata seu memorialia primi paschatis, in secutis ab inde annis (uti ostendi §. 1. huius commentarij) sic etiam aliæ fuerunt quædam cæremonie obseruatæ à Christo Domino in sua prima Missa, & aliæ per spiritum S. iussæ obseruari in missis postea secutis post passionem Domini, idque meritissimo iure ita ordinatum fuit à sapientissimo Domi-

**D**

**50**



no nostro legislatore, nam, cum Missa sit Actio representatiua totius vite Christi, uti Doctores loquuntur, siue uti Christus & Ecclesia loquitur MEMORIA EIUS, pridie autem, quam pateretur adhuc vite Christi deesse ultimum eius complementum nempe passio, non decebat Christum Dominum in sua missa prima adhibere per omnia cæremonias, quæ adhibentur in Missis secundis, siue secutis passionem, in quibus etiam præter vitam Christi, exhibetur eius passio secuta atque mors cum sepultura. Quæ igitur, dicit aliquis, fuerunt Proto-Missa, ut sic loquar cæremoniarum? Dico ex Scriptura me istas compendio reperire, I. Gratiarum egisse Dominum Luc. 22. eleuatis oculis in cælum ad Deum Patrem suum omnipotentem, S. Petrus in canone Missæ Romano, III. Gratiarum egisse eidem. Idem canon Missæ, IV. Gratiarum agentem fregisse panem I. Cor. II. V. Benedixisse ac fregisse, Matth. 26. Marc. 14. Can. Missæ, VI. dedisse discipulis suis (id est porrexille sic in orbe peccatum, ut omnes manu porrecta extensaque, attingeret eum) Matth. Marc. Luc. II. Cor. II & Canon Missæ Rom. VII. dixisse: *Accipite*, Matth. I. Cor. II. Canon missæ R. VIII. Item comedite, Marc. manducate. I. Cor. XI. & canon M. R. IX. item: *HOC EST ENIM CORPUS MEVM*, canon Missæ Rom. Matth. Marc. Luc. I. Cor. II. X. Item: *QVOD PRO VOBIS DATVR*, Marc. XI. item: *QVOD PRO VOBIS TRADETVR*, I. Cor. II. XII. Hoc fecite in meam commemorationem. Ecce istæ fuerunt cæremoniæ protomissa Christi Domini Nostri, compendiosissime, ut solet fieri narrate in scripturis Sanctis Ecclesiæ Catholicæ quas nunc intendo considerare & me aliosque eiusdem ædificare, & imitari quatenus fas est discipulo Christi, incipiendo à cæremonia prima.

**D**omine Deus meus Iesu Christe, sacerdos magne, ego tibi gratias agito toto corde & viribus, quod pro me & omnibus nobis in te credimus exercueris dictas cæremonias primæ missæ tuæ; & in illis te admior, honoro & adoro, quod iuxta naturam nostram, quæ est animal cæremoniosam, sanctas assumpseris & adhibueris cæremonias. Duo nunc à te oro, Domine, I. ut nunquam sanctas cæremonias, vel à te usurpatas, vel institutas per Spiritum S. in tua Ecclesia, contemnere velim, aut parui pendere, sed animum amare ac defendere. tu enim Exod. 18. per Iethro, dixisti Moysi: *Ostendas populo cæremonias & ritum colendi, &c.* in tua autem Ecclesia Catholica ecce plus est quam Moyses. II. quod oro Domine, est ut monente à postolo tuo, gratias assidue agam tam tibi, quam alijs benefactoribus meis, mane cum surgo, cum horas recito, cum opera alia perago, cum mercede merefacio, cum vespere ad quietem secedo; cum noctu e vigilo, sonet votum gratiarum & laudis; tonet dulcis glorificationis tuæ versus Gloria Patri &

*F. & Sp. S. vel, in Nomine Patris & F. & sp. S. vel Deus in adiutorium meum intende, vel saltem oculos in cælum ad te Deum meum eleuem.*

§. 33. *Et fregit. v. 19.*

Ita est in serie caeremoniarum, ad primam Missam à Christo Domino adhibitarum, & §. 31. recensitarum, quarta caeremonia. nam secundam, quæ erat, Eleuatio oculorum Christi in cælum ad Deum Patrem suum Omnipotentem, & 3. quæ erant eidem actæ gratiæ, S. Petrus in canone Missæ Rom. solus recensuit, quos S. Lucas videri potest vno verbo *Gratiarum Actionis* fuisse complexus, cum 1. quæ fuit Gratiarum actio, & tertia, etiam gratiarum actio, nomine coincideant, etsi forma sua non nihil differant. Alia enim est actio cum gratiæ aguntur in incertum, ut cum Dico, Deo sit gloria, & alia est Actio, cum gratiarum verba, ad ipsum diriguntur, de quo dicuntur, vti sit cum Dico, tibi Deus sit honor & gloria. Quarta ergo caeremonia Missæ primæ fuit, quod Dñs panem in sanctas suas manus accepit, *fregit*, vti Matt. Marc. Luc. & Paulus 1. Cor. 11. & S. Petrus in Canone missæ vnanimiter commemorant, cum enim Panem accepisset, & personarum præsentium essent XIII. ad minus, ut cuique suppereret portio, necess. fuit cum physice diffingi, seu conuelli in partes, & diuidi. Inuenio autem duplicem fractionem, ab Euangelistis & Apostolis in prima missa obseruatam, pulchre & subtiliter nobis indicari, nempe vnã crassam seu physice physicam id est sensibus perceptibilem corporalem, de qua nunc ago, & aliam subtilem seu Logico-physicam, id est ratione sola perceptibilem corporalem tamen, nempe separationem substantiæ panis à suis accidentibus, mutata substantia in corpus Domini saluis accidentibus panis, de qua postea agã. diserte enim duplicem fractionem panis indicant ij quos dixi. Ecce: Lucas ait: *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens.* siue ut Paulus 1. Cor. 11. ait *gratias agens fregit, & dixit.* iam vero Matthæus ommissa, quam alij descripserunt Gratiarum actione ait, *Benedixit ac fregit deditque discipulis suis & ait:* siue vti Marcus ait: *Benedicens fregit & dedit eis & ait.* quod autem illud Lucæ & Pauli Gratiarum egisse, & Matth. ac Marci, Benedixisse non sit vna eademque actio Christi, clarius exponit in Can. Missæ S. Petrus, dicens: *gratias agens benedixit deditque discipulis suis, dicens.* vbi gratiarum actionem & benedictionem distinxit, cum igitur S. Lucas subiunxerit Gratiarum actioni fractionem, & S. Petrus gratiarum actioni Benedictionem & S. Math. atque Marcus benedictioni fractionem; notum sit, subtilissime nobis insinuari, duplicem fractionem. vnã cum gratiarum actione coniunctam, alteram cum benedictione. Prosequamur nunc priorem fractionem, quæ fuit ciuilis & crassa, quæque in omnium hominum est potestate,

D 2

pro

pro qua alij vtrantur scissione facta per cultellos. quid de illa dicemus? nam & illa habet sua mysteria, siquidem Euangelistæ fractionem panis quæ est naturæ opus, indicantes, mihi videntur negare scissionem, quæ est violentiæ, ac forte id eò factum est à Domino, vt ostenderet sese in sua Ecclesia posse pati diuersitatem seu varietatem, intellectus & morum, non posse pati scissuras seu dissensiones animorum ac cordium. odit quippe Dominus hæreses & schismata, tolerat varietatem. Variæ sunt in Ecclesia Dei lingue, variæ Artes, variæ explicationes scripturarum, varia officia, varij habitus, varij status; sæcularis & Ecclesiasticus, & Ecclesiastici status sunt varij, nempe alius Cleri sæcularis, alius Cleri Regularis: & Regularis iterum quam nõ est varius! Alphabetti literis pridem superant, Antoniani, Augustiniani, Benedictini, Basiliani, Carthusiani, Cistercienses, Crucigeri, Carmelita, Dominicani, Discalceati, Eremitæ, Franciscani, Guilhelmitæ, Iesuitæ &c. Hi omnes sunt membra præclara Christi Ecclesiæ, vnus panis vnitæ fidei & spiritus sub regimine Romanæ Ecclesiæ, fractus tamẽ in partes multiplicibus donis gratiarum, quibus vnus præ alio pollet, non scissus schismate religionis.

**S**aluate cuncti Ecclesiæ Dei status & ordines saluate. Vos alloquor. Vos estis mundi ornamenta, varietas circumdans deauratum Sponsæ vestimentum, amo vos omnes, etsi non sim vt singuli inter omnes. Ecclesiastici ordinis sum in sæculo, è Canonicorum numero, sæculares non abomino, sed iuuo: Regulares colo & promoueo. non sum de pane Christi scisso, sum de fracto pars, cupio manere pars, & vos inter vos nolite scindi, qui manducat, non discernat ieiunantem; qui ieiunat, non iudicet manducantem. Vnus spiritus sit in vobis, etsi multiplicitas gratiarum.

§. 34. Et dedit eis. v. 19.

Dixi de fractione panis sensibili & crassa, quæ antequam benedictionem, nondum de benedictione & fractione, quæ secuta est benedictionem, vel potius ei coniuncta fuit, vt exprimit Marcus verbo: *benedicens fregit*. En impleo propositum vna cum verbo *dedit*. Quomodo ergo *benedixit Dominus* vtique quomodo hodie dum benedicit Ecclesia, quæ benedicendi & formæ & potestatem à Domino, accepit, orando, inuocando, precando, vt quicumque hoc pane vteretur, is salutem corporis & animæ consequeretur, viveret in æternum, resurgeret à mortuis &c. Ioan. 6. hæc enim est synopsis omnium Ecclesiæ benedictionum. Pergo, quomodo fregit post benedictionem panem? subtilissimè. dando discipulis, sic vt omnes attingerent iacentem in patena: & dicendo, *Accipite*: & consecrando, seu dicendo; *Hoc est Corpus*

meum. his enim verbis ab illo, quod sensus percipiunt, id est accidentibus in-  
herentibus substantiæ panis, substraxit substantiam seu naturam panis  
corporalis, & substituit substantiam corporis sui. verbo; *Transsub-*  
*stantiauit*, seu conuertit panem in Corpus suum. Mira fractio, sed ta-  
men vera, & diuina, etsi nec Lutheranus, nec Calvinista, nec Anabaptista  
credat. quid enim? Nec Iudæi nec Mahometani, nec Gentiles hoc credunt.  
in hoc ergo illis propius, quam credentibus, accedunt. accedere ad illos,  
quos damnant, quid est? est similem fieri illis. quibus? Incredulis. & quanta  
laus vel ars est hoc? misera profus & infelix est societas iūgi infidelibus, abi-  
re à credentibus. In consilium eorum non veniat anima mea. Hi in formula  
cænæ suæ Calvinianæ, omnes illos excommunicant, qui creaturam aliquam  
benedicunt. Et quid oro in hoc faciunt? ipsum D. N. Iesum à sua cæna exclu-  
dunt excommunicando, eo quod panem creaturam benedixit. Prò excom-  
municationem Calvinianam! Credo Domine, te benedixisse, credo te in-  
uisibiliter panem fregisse, separando substantiam panis ab accidentibus su-  
is mutasse in tuum Corpus. Credo fractum sic dedisse discipulis tuis tan-  
gendum primo, mox manducandum. sed quare dedit discipulis sic panem  
in patena fractum, vt omnes attingerent omnino, vt potestatem tractandi  
panis, vt Christus eum tractabat, acciperent. Ecce hodie dum cum conse-  
crantur sacerdotes, porrigitur eis panis in patena, & vinum in calice, vt cum  
forma *accipe potestatem consecrandi &c.* materiam sacramenti huius potestati-  
uè occupent tradente Episcopo, accipiente ordinato.

**D**eus meus testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Gaudeo in Deo  
Iesu meo, qui me in illa plantauit Ecclesia, in qua est *Benedictio & Fractio*  
panis, & *Traditio potestatiua*. Lauda anima mea Deum tuum in vita tua.

§. 35. *Dicens: Hoc est corpus meum. v. 19.*

Quis est hic sermo? iste quem totidem verbis, imo iisdem retulit Mat-  
thæus, & Marcus, & Lucas & Petrus, in canone missæ Romano, & Paulus  
in epistola 1. ad Cor. 11. cap. Solus Petrus addidit *enim* causatiuam, quam a-  
lij non addiderunt sed neque negauerunt. Et quid sibi vult iste sermo? qui  
latinam linguam mediocriter intelligit non ignorat. Ecce, infimi Gramma-  
ticæ discipuli intelligunt, quid dicat Dominus, cum dicit *Hoc est corpus meum.*  
quid tu Infimista intelligis, cum audis verba ista? Audio. Hoc quod teneo,  
quod videtis, quod mecum tægitis in patena, non dico *Panem*, nec nego *Panem*.  
Hoc sensibile est *Corpus meum*, si ergo verax sit sermo meus, vt sermo Dei. ca-  
pite quod panis substantia, in aliã versa sit manentibus panis accidentibus,  
dum dico hæc verba. Consecraui, feci dicendo quod non erat, vt alias  
prædixi dicens: *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita &c.* Ioan. 6.

D 3

193

non audio: Hoc est figura aut representatio corporis mei, sed; *Hoc est corpus meum*, quale corpus? non est necesse phylosophari. videte corpus meum, Quod teneo vobiscum, *hoc* tale corpus est. Si corpus meum, quod teneo *Hoc*, phantasticum sit, vti putabatis, cum super mare noctu prope vos ambulabam ( Marc. 6. ) & vti docebit post vos Marcionita, non recuso quo minus dicatis *hoc*, quod teneo, esse corpus phantasticum: si corpus meum, quod teneo *hoc*, sit figura corporis, & non corpus verum ac reale, sumptum de Virgine, positum in præsepio, circumcisum, adoratum, à dæmonio portatum &c. non recuso, quin dicatis *hoc*, quod teneo, esse figuram corporis mei, vti post Marcionem docebit Calvinista. Si me dicente & ostendente, *hoc* corpus meum, non sit meum corpus, sed aliud quid non recuso quin *hoc* monstratum dicatis esse, non corpus meum, sed aliud quid, quod enim de corpore meo sentire vere debetis, volo sentiat de *hoc*, quod ostendo & vobiscum teneo, si durus sit alicui vestrum iste sermo meus, si illi mollis sermo meus, *Hoc non est corpus meum* (scilicet Christi) sed hic non est sermo meus. Meus sermo est iste: *Hoc est corpus meum*. si accepta in manu petra, aut vite, aut simili creatura, dicerem vobis: *Hoc est corpus meum*. Vere, hoc dicendo, fecissem ut *hoc* esset corpus meum, non accepi ego in manus vitem, non accepi petram in manus & ostendi vobis, & dedi ut teneretis mecum, sed panem accepi in manus, & ostendi & tenui vobiscum, & de hoc dixi: *Hoc est corpus meum*. dicenti hunc sermonem, aut credite quod dico, aut me vel impostorem, & qui nocis illudentem auditori, aut mendacem, falsa narrantem candide dicite, dixi accepto pane & eum ostendendo & tangendo vobiscum: *Hoc est corpus meum*, non vultis credere? per me licet, Sequimini ergo vos ipsos, estote duces vestri ipsorum, permitto peccatum, sed non impune dimitto, cum venero ad iudicandum, nisi pænitentia fuerit deletum,

**D**omine Iesu Christe, Deus verus & verus homo, in vnitatem personarum vnitus habens duplicem naturam, ego traditione Ecclesie, id est congregationis omnium fidelium tuorum, accepi te, in nocte qua tradebaris, accepisse in manus tuas Sanctas ac venerabiles panem, & dedisse discipulis tuis primum in manus ut tangerent & eum dixisse de illo quod tangebant & videbant: *Hoc est corpus meum*, vti tui tres Euangelistæ, & duo Apostolorum principes Petrus & Paulus scripto etiam reliquerunt, ad posteros consignatum, quinque testes omnino fideles, quorum Duo ipsimet præsentem fuerunt, & tetigerunt, *hoc*, & viderunt *hoc*, de quo tu dicebas: *Hoc est corpus meum*, & ipsi audiebant & credebant. cæteri tres à Domino ipso postea didicerunt. Ecce Domine libenter sequor illos, testes, omni exceptione maiores. Ecce cum illis credo simpliciter veracibus verbis tuis. malo se-

qui

qui hos, quam Marcionem veterem, qui referente Tertulliano contra Marcionem, verba tua sancta & vera: *Hoc est corpus meum*, per errorem voluntarium, in S. Lucæ (quem solum ex omnibus Euangelistis admittebat) textu sic explicuit & peruertit: *Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei*. Malo sequi illos tuos Domine Iesu, testes & martyres Matthæum, Marcum, Lucam, Petrum, & Paulum, quam Marciones novos Calvinistas, qui idem dicunt quod Marcion vetus, alio tamen, quam ipse, errore voluntario, *Marcion vetus* credebat non fuisse veram humanitatem in Christo, ideo corrumpebat verba S. Lucæ quem admittebat Historicum veracem & torquebat verba eius ad voluntatem suam, explicans dictum tuum, ad libitum suum, ut *Hoc est corpus meum*, sic sonaret sibi: *Hoc est figura corporis mei. at nouus Marcion*, Bengarius, & Zwinglius & Calvinus & qui illius sunt, constentur quod idem veram in te, Domine Iesu humanitatem, sed non confitentur, *hoc esse Corpus tuum* quod tamen tu demonstrando oculis & manibus dicebas esse Corpus tuum; sed dicunt te impostorem egisse, vnus quidem sic, quod tu tenens & ostendens panem, vna manu palam, altera manu clam tangens Corpus tuum dixeris: *Hoc est Corpus meum*. Alius dicit, quod tu, tenens manibus panem, & ostendens eum dixeris: *Hoc est Corpus meum*, cogitaueris, quod panis ille esset *Corpus*, quia non est spiritus, & esset *tuus*, quia tu eum possidebas, quomodo *tuum* esse dicebatur vestimentum, quod ad te pertinebat. Alius autem, quod tu monstras Hoc, & dicens de illo, *Hoc est Corpus meum*, cogitaueris Hoc te postea manducaturum, & tunc conuertendum in Sanguinem & Corpus tuum, & propterea dixeris: *Hoc est Corpus meum*, ponendo astute verbum *est*, pro verbo *erit*. Et alii aliter dixerunt, loquentes inania & cogitationes cordis sui affixerunt cordi tuo, & sua somnia dixerunt tua esse phantasmata, & fecerunt sibi nomen quasi magnorum in terra, sed non erat conueniens testimonium eorum. Ego autem te pastorem sequens non sum seductus. Tibi gratias ago, quod non permisisti me ire post greges fodalium tuorum, qui dicunt se esse Euangelicos & non sunt, Reformatos & non sunt.

§. 36. Quod pro vobis datur. v. 19.

Ita Lucas socius Pauli, at Paulus ipse 1. Cor. II. quod pro vobis eraderetur: an sibi contrarij sunt tam vnanimis socij peregrinationis suæ in tanto mysterio? Nequaquam. diuersum dicunt, quod licet, contraria non dicunt, quod nefas est. An igitur in præsentem dari, est idem cum eo, quod est in futuro tradit? Non dico hoc, dixi diuersum dicere Lucam, & diuersum dicere Paulum. Lucas narrat, quid dictum sit de eo quod fiebat tunc, Paulus nar-

32  
 rat quid dictum sit de eodem futurum postea, nunquid potest simul verum esse quod nunc datur, & postea tradatur? vtrique. & ita narrant isti duo discipuli & testes Domini. Habes hic Catholice solatum scripturiticum pro fide tua, tu credis, quod Christus Dominus tuus in cæna vltima fecerit primam missam, id est obtulerit primum incruentum Sacrificium, panem sicut & vinum suum id est corpus & sanguinem suum sub figuris panis atque vini ibi apparentis, hoc credis, & bene credis. & vnde hoc credis? quia reuelatum est, & quis hoc dicit? Ecclesia mihi dixit Romana & Apostolica. Ecce venit homo qui negat Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam & suam esse veram, suam tamen Ecclesiam esse talem ut credere ei tuto non possis, eo quod errori sit obnoxia, esse autem librum quendam qui dicitur, Biblia, illi te tuto posse credere, & si in eo scriptum sit, quod Christus sacrificium fecerit in cæna vltima, tunc te tuto & certum credere. quid hic facies Catholice? ut te expedias ab insane molesto homuncione, qui tibi dicit: vbi est Scriptum? vbi scriptum? Ostende ei s. Lucam, & diè ibi scriptum est. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Vbi scriptum est hoc, ibi scriptum est, quod Corpus Christi extra passionem cruentam sit oblatum siue datum pro discipulis Christi & nihilominus etiam ipsis datum, in quo utroque consistit ratio sacrificij, nempe dari alicui & simul pro ipso dari, cui datur. Hunc modum dandi vocarunt veteres Sacrificium, oblationem, victimam, sacrum, nos Missam, Græci Liturgiam, si tu nolis sic vocari, per me licet, voca Blietri. dummodo admittas, quod textus dicit: Datum esse Christi corpus discipulis, & tamen simul pro ipsis datum esse, sed cui datum pro ipsis cogitabimus tam præstans Corpus Christi, in vltima cæna? Iudæne? nequam, alias iuste tradidisset Iesum Iudæis, utpote suam rem. An Iudæis & Pilato? At illi aberant. cui ergo. Deo patri. Illi dare aliquid pro alio, & illi ipsi communicare pro quo datum fuit Deo, hoc est sacrificare, hoc missam facere.

**E**cce iam missam à Christo primam factam esse in scriptura legisti. iam scis vbi scriptum sit, non quod discere, sed exagitare voluisti.

§. 37. *Hoc facite in meam commemorationem, v. 9.*

Idem iisdem verbis dictum à Domino narrat S. Paulus Apostolus 1. cor. 11. sed quid est hoc? Facite in meam commemorationem? si dixisset Dominus hoc cogitate in meam commemorationem, vel dicite in meam commemorationem, facile intellexissem & implevissem verbum Domini, quisenim sanus mente non posset cogitare facile: Dominus Iesus accepit pacem & gratias agens fregit & dedit & dixit hoc & illud. quis etiam non facile

facile recitare seu dicere posset, modo mutus non esset, verba illa. Dominus Iesus in nocte qua tradebatur, accepit panem &c. ita enim pueri parvi apud catholicos discunt & recitant; & ita apud eosdem recitant suam lectionem pueri magni, nemo tamen illorum facit hoc in commemorationem Christi, quod Christus in suam commemorationem facere Apostolos iussit. quid enim faciunt apud A catholicos prædicantes? Dicunt non faciunt Matth. 23. quomodo ergo vos Catholici, vos papistæ facitis in Christi commemorationem id quod Dominus Apostolis præcepit facere? Audio Catholicos quosdam non omnes, respondere. Ego sacrifico, in persona Christi, & cum hoc facio, totam vitam & passionem Christi verbis, & caeremoniis Missæ sic represento, ac si esset quædam actio, in qua exhiberetur historia olim gesta. In hac Vita & passionis Dominicæ, per motus manuum & corporis totius, exhibitione coram populo, facio hoc, quod Christus fecit, nempe corpus iuum, ex pane & sanguinem ex vino, & hoc in commemorationem facio, sic mihi responder Papista, sed non omnes, quia non omnes sunt Apostoli quibus dictum est: Hoc facite. Illi mihi sic respondent. quibus datus est panis in patena, & vinum & Calice, & dictum est à successore Apostolorum. Hoc fac, uti Christus fecit, Corpus & sanguinem Domini. Ecce isti sic respondent, & faciunt, prædicantes autem dicunt & non faciunt, vel si agant sine accepta per legitimam successionem potestate, fictitie agunt.

**O** Pater cælestis ego sacerdos ordinatus ab eo, qui per successionem ab Apostolis acceperat potestatem, exercebor nō in meditatione passionis tuæ solum, quod est commune omnibus Christi fidelibus, nec solum in concione, quod est lectorum, & subdiaconorum & Diaconorum etiam, sed in faciendo. Hoc ad tuam commemorationem, sæpe sacrum faciam, imo quotidie, ut hoc modo memoria tua confirmetur in tui populi mente, & in oculis eius renouetur tua passio, & tuum regnum euertat diaboli regnum, peccatoribus impetretur gratia, iustis confirmatio in gratia, fidelibus defunctis requies, beatis gaudium, tibi gloria super omnia Amen.

§. 38. *Similiter & Calicem postquam canent. v. 20.*

Sicuti Dominus panem consecrârat accipiens in manus suas, & consecratum ipse cum discipulis suis sumplerat, sic uti etiamnum: Episcopus ordinans Sacerdotes, cum iisdem celebrans, sanctificata manducat: ita Dominus etiam accepit calicem, in quo vinum viris erat, in manus eadem, in quas omnia pater suus cælestis tradiderat. Et sicuti pane accepto in manus suas, egerat gratias, sic & calice accepto egit gratias, & sicut panem naturali fra-

§

ctione



atione diuisum in partes super patena porregerat Iuis Apostolis attingendum, tactione potestatiuâ; ita calicem acceptum in manus suas actis gratijs porrexit iisdem Apostolis attingendum potestatiuo tactu. Indicat hæc omnia S. Lucas compendiosa voce *similiter* Matthæus autem diserte expressit, sic: *Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis.* Marcus vero sic: *accepto calice gratias agens dedit eis.*

**D**omine Iesu Christe, video te esse non solum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, offerendo panem & vinum, sed etiam sacerdotem magnum, qui Sacerdotes instituis & creas. nam hoc quod acceperas à Patre tuo, video te aliis nempe Apostolis tuis tradere in manus, non iniuste, vel illubenter, sed cum lætitia, utpote gratias agendo. Et ego per successionem ab Apostolorum tempore continuè deductam, creatus sum sacerdote eo modo, quo tu primus ordinator tuos institueras in sacerdotes: idcirco laudem debeo tibi Domine in sæcula, & obedientiam & ministerium fidele in tua Ecclesia. Tu Domine fortiter exerce in me Episcopi summi officium, per delegatos tuos Episcopos me visita, & emenda. Sed ecce Colendissime, Domine statim hic ego opera tuâ, nempe interpretatione bona scripturæ. S. Lucas ait, accepto calice & dato discipulis dixisse te verba consecrationis, Marcus autem calice accepto & gratijs actis te eum dedisse tuis & ante verba consecrationis, illos omnes ex eo bibisse. quomodo hoc intelligam? An sibi contrarij sunt, qui tuo spiritu scribunt? Non sane, an quod vnus omittit alter supplet? Ita sane credo. Sed quem tunc ordinem cogitabo seruatum? Ex praxi, quæ hodie dum in tua Ecclesia seruatur, cum ordinantur Sacerdotes, video dicendum esse, quod calicem laicum, siue abluitionis, acceperint tui discipuli à te, & sic ordine attingerint calicem cum materia tui sanguinis, consecrandi mox in ipso eodem calice. & hoc videtur dicere Marcus, addens ex eo omnes bibisse, & abluisse os, uti sacerdotes recens consecrati, hodie dum faciunt, qui tunc sanguinem Domini non bibunt. At postquam per ordinem ad te, Domine, redierat calix iste, tunc te verba consecrationis protulisse super materia quæ in calice eodem remanserat, & hoc esse conuersum in sanguinem tuum, & te hoc solum bibisse, si sic sentiens erro, Tu animarum Episcopus corrige me, per Vicarios tuos bene sentio, confirma me, & nihil præiudico.

§. 39. *Dicens: Hic est Calix nouum testamentum in sanguine meo. v. 20.*

Quod hic expressit S. Lucas, totidem verbis eius Magister S. Paulus expressit in 1. Cor. 11. sic *Dicens: Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine.* quæ verba considerata, & collata cum illis quæ S. Matthæus & S. Marcus, & S.

& S. Petrus (in Canone Missæ Romano) exprefferunt, magis me reddunt perplexum & augent suspicionem, de ordine bibendi & consecrandi obseruato, quem §. præcedente expressi dubitando & consultando coram Domino. nam alia prorsus verba de Calice adnumerat mihi Lucas & Paulus, & alia Matthæus, Marcus & Petrus. Duo illi priores referunt Dominum dixisse in recto casu, Hic calix est nouum Testamentum in meo sanguine tres vero postèrius nominati, referunt Dominum dixisse, *Hic est Calix sanguinis mei noui testamenti.* quid hic dicam? an quod omnes illæ loquendi formulæ vnum sonent? Durum est hoc. si verba Lucæ & Pauli, ad Calicem, ante consecrationem Domini, directa fuisset, & verba Matthæi & Marci & Petri, ad Calicem in consecratione ipsa, dixero, durities illa distinctione periret, & fiunt textus omnino tractabiles. vt nempe sit iste sensus & ordo. Lucas & Paulus: *accepto calice gratias egit Dominus, & gratias agens dedit discipulis,* vt Matthæus & Marcus, suppleuerunt, quorum prior addidit etiam, *dixisse Dominum,* illis dando calicem, *Bibite ex hoc omnes,* & tunc addidisse Dominum encomium seu elogium istud, quod S. Lucas & Paulus enarrarunt; *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* tunc fecit ut esse, quod narrat Marcus *& biberunt ex eo omnes.* mox per ordinem circumlato & gustato calice, Dominum eundem calicem ad se recepisse, & benedixisse verbis cōsecrationis formalissimis (quæ Matthæus & Marcus & plenissimè Petrus nobis retulerunt) nimirum istis: *Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* & tunc ipsum Dominum ebibisse solum, quod erat consecratum vti hodie dum solus Episcopus ordinator consecratum ebibere solet. si ita, inquam, construatur sententiæ sacrorum historicorum (cui constructioni nihil textus repugnat, nisi mens Ecclesiæ Romanæ aliam esse constructionem declarer) clarissime à textu scripturæ ad quem appellarunt Wiclefistæ, & Hulsitæ, & Lutherani & Caluinistæ & Anabaptistæ, & omnes Sacramentarij vtraquistæ, damnantur, quod in calicis consecratum vltim involauerint, quem Dominus ne quidem Apostolis in vltima cæna potterit. Sed ista iudicio Ecclesiæ definienda relinquo, & solum quid illi miseri ex solo textu possint, ostendo, ex ordine narrationum.

**V** & Vobis vtraquistæ, si iste ordo narrationum, quem cum summa ratione contra vos ex scriptura ostendo sit à Deo intentas. & Euge, euge Catholici omnes, qui Ecclesiæ praxim secuti, cum laicè communicatis solum & non celebratis sacrificium altaris, vna specie Sacramenti contenti vixistis & vixitis. Fauet vobis textus scripturæ, qui Vtraquistas prostermit & damnat.

§.40. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. v.20.*

Iam dixi probabiliter de quo calice consecratione, an ante consecrationem, verba ista scripserit Lucas & Paulus. Occurrit mihi obiectio: si illa verba à Luca relata sint elogium nondum consecrati calicis, quomodo verum est, quod addit, *in sanguine meo qui pro vobis fundetur*? si enim in calice illo, de quo hoc elogium fiebat, sanguinem Domini non continebatur, quomodo ille calix erat testamentum in sanguine Domini effundendo? satisfactio mihi ipsi, qui mihi obieci, & cogito, calix ille ante consecrationem, continens solum vinum aquâ mixtum (vri habet traditio & mos gentis erat, vbi ista fiebant) bene dicebatur esse testamentum, quid enim est Testamentum? Ulpianus Respondet esse *nostra voluntatis iustam sententiam, de eo quod quis post mortem suam fieri velit.* quid autem est iustum? quod non repugnat legibus? & quid est sententia? Cicero de legibus *notam vel ore verbum prolatum.* Videamus iam an calix Christi vinum aquâ mixtum continens, possit esse & dici Christi Testamentum? Potest equidem; siquidem calix iste continens assumi poterat à Domino, pro nota suæ voluntatis, sane non repugnantis legibus (cum sit ipsa prima lex) de eo quod volebat fieri post mortem suam, si enim charta & atramentum & similia ad hoc assumuntur à nobis, cur non à Domino ista tanto meliora quanto atramentum vino & charta deterior est auro vel argento. sed quid erat quod volebat Dominus post suam mortem fieri, & cuius nota esset iste calix vini? Hoc, ut post mortem suam, sic de calice biberent communicati corpori Domini, sicut ipsi Apostoli tunc communicati iussu suo omnes bibeant laicè de Ordinatoris sui Episcopi Christi Domini pastorum principis manu calicem istum quæ porrexerat Dominus. clare satis, non habet igitur queri laicus populus quod sibi vel Testamentum Domini vel pars Testamenti Domini subtrahatur si ei calix consecratus sanguinis Domini ex altari non datur, quando quod Apostoli Testamentum acceperunt etiam laici omnes in Ecclesia accipiunt, quando volunt. sed nondum soluta est difficultas nata ex illis verbis (*in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*) quæ Dominus addidit. Videamus si & hoc plane atque commode ut cætera, explicari possit, potest autem, nam quid est *Testamentum in sanguine meo*? vtrique hoc, Testamentum in morte Testatoris confirmatur Heb. 9. & I. C. quali autem morte homo decedit, eadem confirmatur etiam Testamentum eius. Videamus quali morte moriturus erat Dominus cum testamentum per illam valiturum condebat: violenta, siue *in sanguine*, clarius, *qui effundetur.* vides iam quomodo calix etiam

nom

non consecratus à Domino assumptus, vt esset nota suæ voluntatis de eo quod post mortem suam fieri veller, sit testamentum eius: vtique vides, imò etiam quomodo sit *testamentum in sanguine eius*, tam enim diserte iam iam mortiturus erat, vt etiam sanguis eius omnis iam à corde esset lancea eliciendus. tunc ergo confirmatum est hoc Testamentum eius cum per lanceam aperto latere eius exiit sanguis & aqua. Dicis mihi ista nimis esse erudita, oppono tibi, Deus est qui ista dixit & fecit, non stupor. si tu ingeniose & subtiliter agere intendis & cum parum quid præstiteris gloriaris, Deo tuo ingenium inesse non puta!

**D**EUS meus, laudo te in confessione magnitudinis intelligentiæ tuæ, à te est omnis industria, sapientia & scientia in cælo & in terra. Tu disposuisti testamentum electis tuis, & mandasti illud in æternum, sed aliter Laicis aliter sacerdotibus, idem tamen, vt idem calix erat de quo omnes Apostoli, bibebant, cum abluiebant se communicari, & idem erat calix quem Dominus consecrabat & solus consecratum bibebat. Laicis dedit calicem *Testamentum Novum in sanguine suo*, qui pro eis erat effundendus tunc, est usus nunc, sacerdotibus autem quando celebrant imitatione Christi (siue vti Apostolus loquitur 1. Cor. 11. Quotiescumque annuntiabunt mortem Domini, & sic imitatione eiusdem & manducabunt & bibent) dedit eandem calicem *sed Sanguinis sui noui & æterni Testamenti qui tunc effundendus erat nunc autem effusus est.*

§. 41. *Verum tamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. v. 21.*

Iam communio Apostolorum cum Christo erat peracta & ordinatio eorundem in sacerdotes, potentes conficere corpus & sanguinem Domini, cum pro eo quod oportebat esse iubilum & gaudium in animabus eorum, qui primum Christianum pascha de manu ipsius Domini receperant, materiam copiosissimam tristitiæ Domino & Magistro suo præbent. Ea materia ad aliquot capita potest reuocari. 1. Indigna communio Iudæ proditoris. 2. contentio inter ipsos discipulos de primatu. 3. Iudæ sapiens moniti & tacti impænitentia. 4. Petri animosa iactantia in imminente casu valde probroso. 5. Magnus discipulorum post triennium eruditionis sub optimo Magistro remanens stupor. Horum omnium primum prædicto versu Dominus, & quidem primo loco expressit, vt intelligeremus inter graua grauissimum Christo accidere, si indigne ad Sacramentum corporis illius sumendum accedamus. vere enim indigne communicans imitatur proditoris Iudæ nefas. osculatur Dominum & odit. comedit ore, & corde fugat, recipit palam, secreto repudiat.

E 3

O Deus

**O** Deus, auerte obsecro à me tam enormē nequitiam, ne vnquam mortali culpa onustus, & deformatus velim me sumendæ communiōni Ingerere, & partem cum Iuda proditore aucupari.

§. 42. *Et quidem filius hominis secundum quod definitum est, vadit. v. 22.*

Dixerat indubie iniquus ille in corde suo: Equidem moriturus est he-  
rus meus, per manus persequentium Iudæorum, & sic parum erit me eun-  
dem illis tradere, cum ipse se proxime moriturum affirmet: saltem hoc ad-  
nitar vt aliquod inde emolumentum capiamus, & sic non impunè occide-  
rint Magistrum. Ita probabiliter cogitante Iuda, eiusdem excusationi re-  
pondit; *filius quidem hominis vadit sicut definitum est de illo varijs in locis sacre*  
*scripturæ & prophetarum, & primo quidem ex parte nostra, qui per eius*  
*passionem liberati sumus. Ioan. 3. oportet exaltari filium hominis, vt omni, qui*  
*credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, 2. ex parte ipsius Christi qui*  
*per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis. Nonne oportuit*  
*Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. 3. ex parte Dei: cuius definitio-*  
*nem circa passionem Christi prænuntiata in scripturis, & præsignata*  
*in obseruantia veteris testamenti oportebat impleri, vnde bene dixit, filius*  
*quidem hominis secundum quod definitum est vadit, scilicet per suam passionem*  
*ad liberandum hominem perditum originali culpa, & personali peccato*  
*grauatum.*

**D**omine Deus, periculosa planè est sapientia carnis, vti videmus in Iu-  
da, qui in illius disciplina valde profecerat, sed captus est in astucia  
sua. Deus meus, noli obsecro permittere vt me prudentiæ carnis, tibi iu-  
micæ dedam.

§. 43. *Veruntamen vā homini illi per quem tradetur. v. 22.*

Licet voluntaria quadam necessitate pergam ad mortem crucis, Pa-  
tris mei decretum impleturus, non tamen te ô Iuda cogit, vt me in mortem  
tradas. liberum enim tibi manet, id non facere: quare quod facere velis,  
mercator pessime, id tuæ culpæ tribuas, & quod sequitur æternum vā  
ebibas, necesse erit, nisi in tempore respicias & conuertaris ab iniquo tuo  
 proposito, vā æternum conscientia rodentis quod filium Dei morti tradi-  
deris; vā cruciatuum infernalium omnium quod Dominum minister ven-  
dideris; vā priuationis æternæ, qua visione Dei beatifica carebis quod in-  
digne sumpseris panem, & biberis calicem domini, non diiudicans ea. Et  
quis explicaret imo quis cogitare poterit inferni dolores, tormenta, cru-  
ciamina? Martyrum omnium supplicia, rotæ, catastæ, laminæ igneæ, Equi-  
lei

lei & quidquid inuenire potest scelerata barbaries, vnius damnati tormenta non modo exaquare sed nec adumbrare quidem possunt, plus dolorum perferet corpus vnius damnati quam si ab orbe condito omnes omnino mortales huc vsque in ardentissima S. Laurentij craticula perdurassent. Extende tuam cogitationem, quia nihil dixi & nihil cogitasti, qui lenissime torquetur inter damnatos, plus in corpore suo doloris sentiet quam si mortales omnes, omnia damnatorum tormenta per centum annorum miliones paterentur, nimirum æternitas tormentorum ita seipsam extendit vt vbiunque terminos fixeris, infinite excedant. O si hæc veritas subinde in cæca tentationis & voluptatis nebula affulgere possit, non dubito omnes oratione tenebras depellendas, & comprimendam quantumuis prurientem in scelus voluptatem, quis enim ita insanit, vt æternum malorum pondus momentanea voluptate mercari, æterna supplicia breuissimo gaudio commutare velit? id est vnicam horulam æternis sæculis conferre. Et quis poterit habitare cum igne deuorante, quis habitare cum ardoribus sempiternis? O peccator cum audis si tamen audis) ardores æternos, ignem deuorantem, dentum sulphur, glaciem asperrimam, spiritum procellarum, fumum tormentorum ascendentem in sæcula sæculorum, vermem non morientem imagine cum intelligis vna eaque terribili catena caliginis colligatos damnatos inter vndantia incendia conuolui, iacturique, quid animo tibi fingis? agedum si sapias, si vere & vt Catholicum decet, ista credis esse certissima primæ veritatis effata, tecum ipse hanc sapientissimam ratiocinationem collige. Sat somno ludilque datum: plus cheu, satis lusimus: imo nimis periculose lusimus. Dicamus, Heu mihi! quam nimis animosa temeritate hæcenus in lubrico æternæ infelicitatis præcipitio ludibundus perstiti!

Per viscera misericordiæ Iesu Christi, te contestor, rogo atque obsecro ô homo peccator, per quidquid sanctum est, etiam atque etiam lege, relege, cogita, recogita quæ hic bono tuo scripta sunt, sæpius interroga corpus, animam, sensus, facultates tuas: quis ex vobis? quis habitare poterit cum ardoribus sempiternis? dico sempiternis. Ad nuntium febriculæ palles; ad amaras potiones, ad calculi dolores totus exhorrescis. Hæc tamen damnatorum essent solatia, quæ tu Cruces intolerabiles arbitraris. Examina vires constantiæ & fortitudinis tuæ: non aliud quam tuum corpus, non aliæ quam tuæ facultates & sensus, non aliena & conducta membra, non alius tui loco torquebitur, quis fortis potest æternitatem suppliciorum ferre? vere actum est de homine, quem ista non mouent, qui non expergiscitur ad hæc tonitrua, non dormit, sed mortuus est. A quo malo, & væ æternitatis libera me, Domine, per viscera misericordiæ tuæ, per merita passionis

acer-

acerbissima & mortis tuæ, per dolorum vulnera tuorum per sanguinem pro me effusum, per merita, & dolorem Beatæ Mariæ Virginis in tua sancta passione conceptum, per orationes patriarcharum, per merita prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem confessorum, per castitatem Virginum, per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi. Amen.

S. 44. Et ipsi cœperunt querere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset. v. 23.

Nullum dubium ponunt in verbis Christi quoad rei veritatem, non videntur tamen apprehendisse rei gravitatem, & sceleris propinquitatem, quam tamen potuissent intelligere ex vocula *Tradentis* quasi iam iam & in presenti significantis, & rem proditione grauiorem importantis. prodere enim proprie dicitur qui eum pro quo cœpit stare destituit, tradere vero importat non solum hanc destitutionem, sed etiam cooperationem cum aduersarijs seu machinationem, communicando consilia & manus quæ omnia morebantur grandem horrorem & detestationem & iram præsertim, et eo quod is assideret eis in mensa, & quod hæc traditio non solum respiciebat animi ingratitude erga Dominum, sed & diuinitatis contumeliam continebat, exasperati Apostoli cœperunt mirari, tum coniectare & querere inter se, quis tam impius inuoniretur, ut hoc grande facinus perpetrare auderet, ut saltem, qui hoc ausus esset, ex eorum consorcio eijceretur, & verbis incesceretur, forte & manibus, pedibusque pulsaretur.

**M**agnanimus & forte est proprias tolerare iniurias, Dei vero iniurias ac contemptum, ne quidem auditu sustinere plane religiosum est. Sed heu multi oppositum faciunt. nam proprias iniurias districte dissimulantur, de Dei autem inhonoratione & religionis læsionibus parum aut nihil laborant. Utinam adeo cordi meo Christi amor esset infixus, ut vel sola cogitatione tremere recordando quod possem illum aliquando offendere, aut grauem inferre iniuriam.

**D**omine Jesu Christe, qui omni genere amaritudinis tuæ passionis calicem permisisti commisceri, & inter cætera etiam tormenta, passus es hoc quod tui discipuli, te adhuc viuentem & sano, & præsentem litigarent de Maioratu & prælatione & successione sua in dignitate tua & officio tuo, compatior tibi, quia apprehendo, quantum in hac disputatione latuerit mali. implicabatur enim in eo litigio desiderium & gaudium quoddam de tuo discessu ex hac vita, implicabatur ambitio oneris importabilis, implicabatur ignorantia crassissima & stupida, quæ tuum Magisterium adeo de-

prime-

primebant, ut videretur esse morè naturale; implicabatur denique gravissimum sacrilegium quod vellent unusquisque contendendum succedere tibi, cui succedi non potest, quoniã sicuti ipse nequis decedere à filiatione Dei, ita nemo in ea &c. tuis gratis potest esse successor. Vide Domine in talia impingimus, quando virtutem & tuã gratiã ductum deleimus! ô infinitè labilem naturam nostri generis!

§. 45. *Facta est autem contentio inter illos quis eorum videretur esse maior. v. 24.*

Cum prædicto modo discipuli Domini inter se coniectant & discerpant, quis nam iste nequam esset inter ipsos, qui rem detestandam moliretur, ne ad fundum quæstionis vtilissimæ penetrarent Iudas impediit, Is sua vaficie inquisitionem elusit, & Condiscipulos ad aliam quæstionem vafre traduxit, dicens: nos quidem condigne agimus inquirendo in traditorem, sed cum Magister noster dicat ipse, quod iam iam sit à nobis auferendus per mortem, vtilius collegio nostro faciemus, si de capite successuro in Magisterio ante omnia disquamus, ut is scelus hoc vindicet. Videamus ergo prius ad cuius iurisdictionem pertineat ista inquisitio, antequam in eam nos imprudenter ingeramus. Ecce sic Introducta est alia quæstio, quæ eam ac prioris quæstionis materia corpißimi Domini vulneravit, quia ipso adhuc viuento de successore disputare, & quidem præsentem, est res turpissima & valde dolorosa. Idcirco cum incidit casus, ut prælato volente prouideatur ei de successore, coadiutor dari solet non successor. ne videamur mortem eius desiderare, cui successorem destinamus. Fuit sane hæres non minima pars passionis Domini, qui etiam illa specie afflictionis calicem suæ passionis voluit amaricari.

§. 45. *Dixit autem eis Reges gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. v. 25.*

Ut desiderium honoris & dignitatis, temporalis appetitum &c. latentia in hac contentione mala, Dominus in sua Ecclesia sedaret, opportune malum hoc factum discipulorum, conuertit in documentum pulcherrimum. Itaque gentilium meminit, ut ex hoc rem vituperandam ostenderet. Gentilium est enim ambire primatum, ibi Reges gentium esse volentes occupant animos, ut eo modo emergere possint in mundo, & de dominio in dominium, de regno ad regnum peruenire, & amplissime habere sibi subiectos. filios eorum tollere & ponere in curibus suis, facereque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, tribunos & centuriones &

R

ara.



aratores agrorum suorum, & messorum segetum & fabros armorum & currum suorum, agros quoque & vineas & oliueta cum placuerint tollere & dare seruis suis, ut benefici vocentur & sic nomen magnum & honores & reuerentiam sibi acquirant, quia in hisce vanitatibus est felicitas eorum, qui aliam non norunt felicitatem, sed quod illo modo *sapientius est hominibus*, stultitia est coram Deo, mundus æstimat illum esse sapientem qui dissimulatis vitijs nouit requirere honores & dignitates: æstimat vero stultos illos, qui sperant huiusmodi vanitates: & dicit ex plurimorum iudicio: *vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore* quia nimirum non dabant operam acquirendis diuitijs & honoribus: sed longe aliud est de hac re iudicium Dei. S. Paulus talis stultus iudicabatur, cum de resurrectione & iudicio & castitate agebat acrius, ita ut ei diceretur, Act. 26. *quod multa litera eum facerent insanum*. sed non erat id insanire, sed veritatis & sobrietatis verba loqui apud Deum, sic non est nouum ut mundus iudicet esse stultitiam, quidquid non intelligit aut non est expertus. Sed veniet mors quando serui Christi appellabunt ad Deum iudicem, qui melius ponderat causas: tunc ille iudicium mundi tanquam iniustum condemnabit sententia sua æquissima, eaque irreuocabili, quæ reprobabit id quod mundus approbat si igitur in hoc mundo habetis stultus memento contigisse & hoc Christo coram Herode. noli in Dei & salutis tuæ causâ curare vana hominum iudicia breui reprobanda, & tunc demum vera laus illucescet.

**E**ligam igitur potius cum Christo stultus in hoc mundo haberi, ut sapiens inueniar in cælo, concedente gratiarum omnium largitore.

§. 47. Vos autem non sic. v. 26.

Item non queretis dominari in populo, nec honores, nec diuitias mundi appetetis, sed quæ Dei sunt magna & mirabilia non contenti paruis aut mediocribus illis bonis & ornamentis perituris. Atque ita, Deo sit gloria, in Ecclesia catholica videmus practicari. nam huius dicti Dominici siue instar præcepti siue instar consilij exponatur, tot sunt testes, quot sanctos colit Ecclesia Sancta Dei: alij enim in studio humilitatis venerunt ad tantam profunditatem propriæ cogitationis & contemptus sui, ut viderentur descendisse vsque ad abyssos. Alij in studio patientiæ tantum profecerunt, ut quasi columnæ ferreæ stent aduersus omnes tristitias vniuersi mundi. alij tam ardentem se dederunt studio orationis, ut vix vterentur sensibus ad res necessarias huius vitæ. alij tanto affectu exercuerunt se in charitate proximorum, ut pene non recordarentur sanitatis, aut commoditatis aut vitæ suæ; alij paupertati rerum temporalium ita studuerunt, ut æquidem

sicutum aliquid referuare sibi voluerint, alij tam studiose vacarunt soli amoris Dei, vt nulli creaturæ etiam in rebus licitis affectum adhærere permiserint. Et hæc est magnanimitas illa sanctorum, rara sed pretiosa valdè, habens coniunctam pietatem qua clarescit mirabiliter Ecclesia sancta Dei.

Vere beati sunt Domine magnanimi illi serui tui, qui per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, vt morientes & viuentes transeunt per viam vitæ, quasi domini omnium rerum, calcantes omnia mundi bona propter te. Isti sunt qui nomen tuum portant, in Indias, ad gentes dissipatas. Certe non cadent à latere tuo, sed assistent tibi ad pugnandum contra Reges Amorrhæos, & postquam parauerint magnas victorias de se ipsis & de sæuisimis hostibus suis coronabuntur à te in porta Sion, inter fortissimos victores tuos, de quorum numero me peccatorem esse gratia tua operante præsta Iesu, Iesu.

§. 48. *Sed qui est maior inter vos fiat sicut minor. v. 26.*

Duplici modo hoc intelligi potest, primo sic: qui vult esse inter vos maximus, fiat minimus, & hac ratione fiet maximus. altero modo sic vti Ecclesiasticus docet, quanto magnus es humilia te in omnibus, quo enim altius itaturæ quis est, eo profundius se inclinare & deprimere potest, & debet, ingressurus per humile ostium. Cæli vero ianua humilis est & angusta est: sic boni & sapientes viri se ipsos assidue contemplant, sese humiliant. quo in genere præclare versatus Dauid psal. 38. dixit, *substantia mea tanquam nihilum ante te*, & alibi se *pulicem canemque mortuum* vocat 1. Reg. 14. sic Iosue Dux Israelitei populi postquam omnibus tribubus suas in Palestina assignasset possessiones, ad extremum ipse delegit & postulauit sibi à filijs Israel habitationem suam omnium vilissimam Thamnat-saram, scilicet urbem dirutâ loco aspero & horrido, sterili & montoso sitam. Res admiratione digna hæc erat, summum totius populi ducem deligere sibi possessionem vltimo loco, in vltimo ac vilissimo fundo. æque mirum & admirandum est quod Ioannes inter natos mulierum maximus ipse sibi vltimâ in Christo elegit, locum dum ad eius calceos & corrigias calceorum se dimisit, quodque amplius est, eo se se loco prorsus indignum esse ratus est. Verum vt Iosue propter suam illam modestiam & humilitatem gloriosior factus est, ita & eius sepulchrum vna cum ciuitate Thamnafara adhuc tempore S. Hieronymi esset celeberrimum: sic & noster Ioannes quo magis se humiliavit, tanto magis nunc laudatur, tantoque in cælo maior factus est.

**P**Rò quanta est vis humilitatis! quo magis sese deprimit eo magis extol-  
litur nimirum gaudet Deus res ex nihilo facere quod is modus infinitæ  
eius virtutis proprius sit & clarius ipsum prodat. Vt igitur hanc rerum vni-  
uersitatem & pulcherrimam speciem ex nihilo procreauit, ita in animis ho-  
minum mundum ornatumque virtutum ex nihilo id est ex humilitate, qui  
suum quisque nihilum profiteatur, efficere solet, quid igitur factò opus  
visesse magnus, paruus esto, vis primus esse, esto vltimus in incessu, loque-  
la, habitatione, mensa, lecto, alijsque quibuscunque rebus, vis impetrare  
quod desideras, annihila te coram Deo. hic in terra nihil sis vt in celo sis  
omnia.

§. 48. *Et qui precessor est, sicut ministrator. v. 26.*

Dominus, Magister, prælatus, in dignitate quauis constitutus fiat & vivat  
in schola Christi humilis sicut seruus, discipulus, subditus, subiectus in omni  
humilitate & mansuetudine & hoc est quod dixit Ecclesiasticus *rectorem n  
constituere, sias quasi vnus ex eis.* Hoc docuit Christus exemplo suo, hoc san-  
cti prælati & fundatores ordinum, hoc ipsa Christi doctrina: non enim est  
sapientia super terram quæ comparari possit cum sapientia & doctrina  
Christi, quæ creat ex alto mundi humilia corda cæli, qualia decet ipsum,  
qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semet-  
ipsum exinanivit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & in  
profundissimæ humilitatis habitu inuentus vt homo. Hoc est verbum abscon-  
ditum quod discitur in schola tua Rex pacifice, non in strepitu & contentio-  
ne verborum, sed cum pace in qua factus est locus quietis tuæ: ita vero dis-  
citur verbum hoc vt discipuli tui Domine illuminata corda habentes tam  
solicite quærant vilia ministeria domus tuæ, quam ambitiose filij huius  
sæculi quærun't primos accubitus in cœnis & primas sedes in foro, primos-  
que honores in palatio, quod vt obtineant, si quid gloriosum eis faciendum  
committitur, quantum per legem tuam licet, vel fugiunt, vel fingunt se ne-  
scire, vel non posse, ne forte positi supra altitudinis præcipitium flatu ven-  
tosæ vanitatis agitati euanescent in cogitationibus suis & veniat eis pes su-  
perbiæ, quo recedant à te.

**O** Domine quam potens est gratia humilitatis, quæ facit magnos homi-  
nes paruos in oculis suis. Vtinam vidissent superbi optimates sæculi  
mitissimum David amicum tuum, quando expoliauit se, & salcauit coram  
Arcâ fœderis totis viribus, iurauitque se fore vilem & paruulum æstima-  
tione sua: & ecce, factus est sicut vnus Magnorum in terra, etiam maior  
Pompeio magno & Alexandro Magno, &c. magnis. si enim omnes in-  
telligerent absconditum sensum huius tui sermonis, omnes credo moue-  
rentur

centur & fortasse multi traherentur fortissima virtute tua, sed quidquid mundus velit, schola tua trahitur suavi valde catena humilitatis tuae. Hæc est opulenta & fortitudo magna quæ roboratur Ecclesia sponsa tua Domine, & consolatur se ipsam in laboribus suis, quia humiles corde amici tui sunt cardines terræ: super quos posuisti orbem, ut sustinerent graue pondus eius. Horum corda tibi Rex cæli & terræ, gratissima sunt, quæ trāseunt modo per ignem probationis & consummato cursu inter principes populi glorificabuntur à te, atque implebuntur castissimis delicijs paradisi tui. quos semper dona uti & frui.

§. 90. Nam quis maior est qui recumbit, in qui ministrat? nonne qui recumbit? v. 27.

Vt ad intelligendam Humilitatem, seu Dei sapientiam capaciores reddat suos dilectos ad catechismum humilem stilum descendit, & quasi pueriliter per quæstiones rem propositam inculcat. interrogans ipsos: *quisnam maior sit qui recumbit? an qui ministrat,* & pro ipsis etiam respondet, *nonne qui recumbit?* seruorum enim est stare coram Domino recumbente in mensa, Dominorum autem est sedere, vel quiescere, seruorum est ministrare, mouere se ad nutum postulante Domino, cibum, aquam, vinum, Dominorum illa postulare & exigere, quorsum vero ista omnia? Nimirum ut exemplo suo saltem pervincat & suadeat humilitatem, qui cum esset omnium Dominus, in hac ipsa cæna sese ministrum fecerat omnium Apostolorum primum, deinde per eis delegatam potestatem omnium Sacerdotum usque ad finem mundi, imo omnium Christianorum, quotidianum ministrum cum in sacrificio altaris, tum in alijs plurimis rebus. Vt & ipsi sic discerent contempnere vanos mundi honores, & ex charitate & humilitate proximo inferuire, quia quam diu durat hæc brevis vita, nihil magis his duabus virtutibus esse necessarium, quàm ut foris luceat humilitas, intus autem flagret charitas. Et sane quicquid hic habemus, quo differimus, commodatum est, quia nemo morientium secum quicquam potest auferre. Omnia relinquenda sunt mundo, & pauper & diues nudatus omnibus hisce honoribus ingreditur sepulcrum. Magnos Reges & prælatos nouimus, qui vestiti splendidis vestibus, & aucti dignitatibus, honorabantur mirifice & adorabantur, post mortem vero pedibus aliorum conculcabantur, & sic heri honorati, hodie humiliati apparent, heri omnes de illis sermones ferebant, hodie vero non est qui eorum recordetur. Transit illius vanitatis ventus, transit festum, honorque eorum emarcescit. Atque utinam mundi ac vanorum honorum amatores non aliud supplicium post mortem expe-

pectarent, quam quod veniant in obliuionem hominum, & non eueniat  
ijs quod subinde accidit viti, quæ in partes contracta iniicitur in ignem, ni-  
mirum ne & ipsi pro sua mercede iniiciantur in ignem infernalem: hæc  
est sæpe vani huius honoris præclarus finis.

**F**elix, Felix ille est, qui tantum amat honorem Dei sui in omnibus quæ-  
rit. Felix ille, qui in humilitate sequitur Iesum Christum, & ex animo  
spernit vanam gloriam huius sæculi, vt cum Christo in gloriam veram ac  
sempiternam transferatur. Et ego propono firmiter, me non ambiturum  
honorem huius mundi, vt acquiram verum alterius mundi, non adhærebo  
vibræ sic vt amittam veritatem, sed ministrare studebo omnibus diebus  
vitæ meæ Deo meo, & proximo propter ipsum, vt coram Domino inueni  
gratiam.

§. 51. *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. v. 27.*

In catecheticis lectionibus est consuetudo, vt documentum doctri-  
næ Christianæ rudibus propositum statim exemplo aliquo illustretur vel  
confirmetur. Itaque Christus Dominus catechesin de humilitate orsus a-  
pud discipulos suos, eam pergit confirmare suomet exemplo, ad con-  
tendendum mundi honores inuitans, dicitq; ecce *Ego in medio vestrum sum, si-  
cut qui ministrat*, quasi diceret Ego Dominus & Magister vester, poteram vos  
in aliam mensam relegare, & mihi propriam optare, sicuti Domini & ma-  
gistri solent habere prærogatiuam in mensa, & similiter in alijs rebus me-  
liora dignioraque arrogare sibi, & tamen hoc ego non feci, nec adhuc fa-  
cio, sed me gero quasi vnus ex vobis, imo amplius adhuc feci & ostendi  
vobis, quia ego vester minister factus sum, & ne sit opus ex remotiore  
tempore repetere facta mea, ecce modo me vidistis imo tactu percepistis,  
quomodo uti mancipium aliquod obiuerm singulorum pedes lauans, ter-  
gens & osculans, imo modo vobis in mensa ministraui, vobis partes facie-  
do & porrigendo. Nec ibi steti, dedi etiam me ipsum singulis in cibum, quo  
ministerio nullum magis ministeriale esse potest. Exempla igitur dedi vo-  
bis per gradus tanta, vt omnes hos assequi imitando non valeatis: ergo  
saltem in illis vbi potestis quemadmodum ego feci, ita & vos facitote, la-  
uando pedes, panem & vinum offerendo ad satietatem corporalem, &  
post meam mortem etiam spiritualem cibum corporis sanguinis mei (qui-  
doquidem vestri corporis & sanguinis quæ eis non prodesse, commu-  
nionem dare non potestis) libenter & prompte, agris & abiectis hominibus  
Docete prompte opera pietatis & misericordie exhibere, me ducentem se-  
quentes tanquam lucem.

Domini

Domine Iesu Christe gratias tibi ago pro tam insigni Catechismo quem de humilitate habuisti apud tuos discipulos certe illo plus profecisti, quam alijs multis magnificis discursibus & concionibus, quia vidi ego Legatos S. sedis Apostolicæ, vidi Principes terrarum, vidi Prælatos, qui in mēsa, & alias minoribus se ministrarent. De Pontificibus Rom. pedes hospitiū & pauperum lauantes vox resonuit in terra nostra. Ecce, Domine mi, tantum profecisti. Non vanè in hoc mundo fuisti, in quo talia exempla fundasti.

§. 52. *Vos autem estis qui permanistis mecum in tentationibus meis. v. 28.*

Habita præclara catechesi, eaque confirmata per exemplum exactissimum, iam suos catechumenos Dominus, tanquam bene percepta doctrina laudat & animat, dicens: *Vos autem estis &c.* quasi diceret, vos à tempore quo vos elegi in Apostolos in omnibus meis laboribus, vigilijs orationibus, peregrinationibus, persecutionibus, iniurijs, blasphemijs constantes fuistis, in mea doctrina, fide, spe & charitate Et nunc quoq; constantes mecum estote in ultimis meis tribulationibus, & luctis vsque ad mortem, & videbitis gloriam Domini super vos, gloriam quasi vnigeniti à patre, pleni gratia & veritate post paucos mortis meæ dies. Ingressi ergo mecum stadium passionis, vigorem animæ vestræ excitate, lacertos intendite, quæ docui vos seruare, opere complete, deficere nolite, estote ut luctatores in arena, pugiles in campo.

Deus meus & saluator Iesu Criste, debeo hic exclamare super tua prudentia & humanitate, quam exhibuisti in ista catechesi discipulis tuis. Solent pueri valde excitari laudibus, & animari & gaudere, & amare laudantem magistrum. Ecce ad hoc etiam te demisisti. Et si enim discipuli tui, se in proxima contentione de maioratu, ita gesserunt, vt epithetis & sarcasmis iure exciperentur, tu mitis & benignus Catechista, videns quod saltem modeste audirent te, incipis eos laudare conquisita materia, vnde, vnde poteras, & laudando eos exhilaras, & exhilarando ad id, vnde se laudari credebant animas. ô prudentem Magistrum! ô catechistam exactissimum.

§. 52. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum. v. 28.*

Iam Catechista noster doctissimus laudauit suos catechumenos, pergit igitur vterius & præmia distribuit pro meritis, dicens *Et ego dispono vobis regnum.* quid hoc est, in alijs catechesibus dantur sedulis catechumenis imagines piæ, rosaria, agni Dei, medalia, benedicta, libelli pij. Hic autem audio

audio regna diuidi. Magnificus & munificus iste Catechista est. non apparet talis in tempore nostro. Sed quale Regnum disponis tuis catechumenis Domine Iesu: utique tuam quod tibi tradidit pater tuus. & quomodo hoc tradis tuis Apostolis: sicut tibi disposuit pater tuus, certe satis magna dignatio, quod non excipias aliquas prerogatiuas tibi.

**O** Apostoli Domini & omnes Christi fideles, certe habetis ingentes & fortes exultandi causas, quidni enim? Ecce Christus Dominus disponit vobis regnum, sicuti sibi disposuit pater suus. quanta dignatio! quanta nostra exultatio? imo exaltatio! Quis hæc audiens non corde liqueat & incipiat amare Dominum Iesum super omnes amandos?

§. 53. *Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. v. 28.*

Audiuimus iam præmij loco Regnum dispositum esse catechumenis Christi. Videamus nunc quale illud sit. 1. Sicut rex principibus sibi familiarissimus concedit mensæ suæ communionem, eosque mensæ suæ (uarumque dapum conuiuas facit: alijs vero minoribus nobilibus necesse est assistere & ministrare: sic ego vos, ô Apostoli, principes, & primores meos mihi proxime a scisco nunc, & mensæ meæ regalis conuiuas intimos adhibeo, & do potestatem in Ecclesia mea iam iam efformanda, ut modo ordinati sacerdotes & humilitate instructi à me habeatis privilegium prælatis illud, ut super mensam meam, quæ in altaribus ecclesiarum erigendarum toto orbe erût, non solum manducetis & bibatis corpus & sanguinem meum sub vna specie, quomodo antea fecistis, sed etiam idem sumatis sub specie vini, quomodo antea à me solo fieri vidistis. Veruntamen non extra mensam meam siue altare, ad quod sacrificabitis, uti ego antea feci ad mensam. Cumque ita istud & alia præcepta rite impleueritis, tunc ego quoque dispono vobis regnum aliud gloriæ, in quo gloriose super mensam cælestem edetis & biberis in sæcula, post humilitatis mensam in terris mecum bene frequentatam.

**O** Clementissime Deus quem non hæc tanta charitas incendat, quod tu Dominus dominantium, Rex cæli, terræque Imperator offeras mensam tuam, mensam Ecclesiasticam, mensam cælestem miseris hominibus, cum discretionem tamen insigni. nimirum ut Apostoli & eorum successores sacerdotes super mensam Domini edant & bibant sub vtraque specie, Laici sub vnâ: Apostoli & successores eorum super mensam, Laici extra mensam. Humiliem ergo me, coram te Iesu, coram omni creatura, uti indignus, qui vel minimum à te beneficium accipiam: rogans interim per illam benignitatem & patrum amorem, quo misertus infirmitatis tuorum discipulo-

puloram spirituali morbo medicinam fecisti pulcherrimam, in eo quod ipsis contententibus de præcedentia, reuera communem omnibus fecisti præcedentiam in tuo regno, & sic satiasti eorum appetentiam, ut neganda quod male petebunt, aliud multo melius & excellentius eis concesseris bonum. O bone Iesu, video quid intersit inter tuæ gratiæ dona, humilio me sub te, Sacerdotum priuilegium cum celebros ad altare tuum gratanter accepro, cum non celebros humiliter vna specie sum contentus, si hoc non facio, in tuo regno aliam dispositionem induco, quam non induxisti tu, neque pater tuus. Verbo, superbio, de maioratu contendo. Absit obsecro ista contentio procul, quam Wickes, & Huls, & Lutherus & Calvinus restaurarunt, & septentrionales regiones in seditionem concitarunt. Absit, Absit ista contentio.

§. 54. *Et sedentis super thronos. v. 28.*

Iam sequitur secundum priuilegium Apostolis de maioritate contententibus concessum. nempe quod præter delicias mensæ Christi iam explicatas, dabit eis etiam priuilegium sedendi in regno suo super thronos, nimirum uti principes & Reges in templis habeantur, dum eis throni eriguntur, quales videmus primum fieri pro Episcopis. 2. pro Sacerdotibus Sacrificantibus solemniter iuxta altaria, quæ vti & ipsa altaria maxime umbella superne tecta reuera sunt throni. 3. pro Sacerdotibus confessiones audituris confessionales throni. 4. pro concionatoribus cathedræ excellentes. 5. pro psallentibus in choro stalla magnifica, ut nihil dicam de alijs excellentijs & prærogatiuis, quas Episcopi & sacerdotes in Ecclesia Christi obtinuerunt, hodieque tenent, & postea in cælo obtinere possunt, si rite suo ministerio fungantur, in terris,

**D**omine Iesu laudo & glorifico tuam sapientiam & bonitatem, quod cum Apostoli tui contenderent de maioritate, & vellent eam arrogari vni soli, quisque sibi, tu litem direxisti, & omnibus dedisti thronos regales, quos si velit, quisque obtinere potest, & reuera defacto multa millia hominum tenent, qui in Pontifices, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & sacerdotes sunt promoti. Hæc est admirabilis inuentio tua Domine Iesu, vilia quærentibus meliora offerre, & pro priuatis offerre communia.

§. 55. *Iudicantes duodecim tribus Israel. v. 30.*

Iam Maiestatem Ecclesiæ suæ futuræ prælatis, siue dignitatem assignauerat, cum etiam iurisdictionem adiicit, dicendo, *iudicatueros esse. sed quale iudicium sit intelligendum hoc loco? & quomodo super xii. tribus,*

**G**

& non



& non super Gentes omnes iudicaturi sint? non intelligo. inquirō legem apud te Domine qui dixisti, tu scis sensum verborum tuorum, aperi mihi Domine, quo aperiēte nihil est clausum. Audiam, & quid audiam? nisi veritatem, & quid verum est de iudicijs, quæ tu Domine promittis tuis? Utrique non mundana iudicia, tanquam primarium officium, sed spiritualia. Sed quæ sint illa spiritualia iudicia? inquirō. circumspicens video duplicia, nempe iudicium rerum licite agendarum aut omittendarum in causa religionis; & iudicium rerum in causis Religionis seu Ecclesiasticis iam acturum. Vtrumque hoc iudicium video etiam in Ecclesia tua, Deus, esse in vso, sunt in ea qui dicunt quæ agi omittive debeant, sine Iurisdictione, & hi sunt Ecclesiæ Doctores, & sunt qui dicunt etiam quid agi omittive debeat cum Iurisdictione, & hi vulgò vocantur Prælati Ecclesiarum, siue habentes curam animarum, per gradus varios distincti, Pastores, & Episcopi & horum in spiritualibus vicarij, hi in clero sæculari: Abbates & Priores & his similes in clero Regulari. sunt etiam qui gesta in causis religiosis iudicent, ut ijdem, & pro Episcopis constituti *Officiales*. Ecce iam inveni iudicantes, agenda omittendaque in foro Ecclesiastico, item censentes iam acta in eodem foro, ut confessarii, in foro secreto interno; & *Officiales* in foro Ecclesiæ externo; eosdem etiam inveni punientes delicta, præmio afficientes bona opera. habent censuras, habent alia sui tribunalis media, quorum vi etiam Imperatoribus & Regibus & Principibus Christianis, pro ut in foro sacro sunt, præstant.

**G**Ratias ago tibi Domine Iesu quod ostendisti mihi quomodo in tua Ecclesia iudicent, quos tu potestate donasti. Magnum illi iudices & eorum iudicia afferunt solatium pijs, terrorem impijs. Magna est eorum potestas, cælum aperiunt & claudunt, sed cuncta ex tua dispositione, qua disposuisti eis regnum tuum. Tu autem, Domine Sabaoth, non dedisti omnibus eandem plane potestatem, sed diuisiones Gratiarum fecisti, & Petro quidem tuo primatum super omnes, cum eum iussisti confirmare fratres suos, cæteris autem minus illo & hi ipsi Apostoli limitarunt potestatem in ijs, quibus eam communicauerunt, alios constituendo, ut essent Episcopi, alios ut essent presbyteri, seu simplices sacerdotes, seu Pastores seu parochi; & quidem certas hominum classes vel terræ districtus assignando singulis. In quo te Magistrum sunt secuti, qui Petro Vniuersos, & apostolis xii. tribus Israel assignasti, donec eorum Iurisdicatio postea progrediret. Atque inde factum est haud dubie quod Petrus idem dicatur in Actis Apostolicis *pertransisse vniuersos act. 9. 32.* cæteri autem per partes. Non hæc est in Ecclesia malignantium ibi quilibet est summus, independens, & sole

solo Deo doctus. Non est ista inordinatio spiritus tuus, à quo omnia bene ordinata sunt.

§. 56. Ait autem Dominus. v. 31.

Cum prædicto modo Dominus Apostolos suos privilegijs ornatos composuisset quoad quæstionem de præcedentia, plura subintulit loquendo. Sed quidnam? S. Lucas plura subtrixit quæ S. Ioannes suppleuit. ex illo colligo, quod Dominus post contentionem de præcedentia in collegio Apostolico compositam per humilitatis suasionem, & veri honoris in sua Ecclesia obtinendi ostensionem, addiderit cautelam, quam in sua futura per Ecclesiam prælatione obseruarent, nimirum ut non putarent, se Dominaturos in Ecclesia tua post se, tanquam absolutos Dominos, sed tanquam dependentes semper à se futuros hisce verbis, admonens: *amen, Amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum.* Ioan. 13. 16. quasi diceret, etiamsi ego sum tollendus à vobis per mortem, & vos sitis mihi substituendi, non tamen substituimini mihi, sicuti in electiuis Regnis electus, aut natiuis defuncto patre principe, filius princeps, nequaquam sic, sed vos etiam me ablato à vobis manetis serui mei, & eritis solum legati mei ad gentes & populos, ita ut non plus vobis liceat, quam credentia vobis permittat à me accepta, & non vestro nomine debeatis vel possitis agere quicquam, sed solum meo, sicuti ego semper egi & locutus sum sub & in nomine patris mei, ita vos in & sub nomine meo ire, loqui, & operari debeatis. Cauere igitur ut velitis esse independentes à me, sicuti ego aui esse aut videri independens à Patre. II. ostendit eisdem quanti momenti sit prædicta doctrina, Ioan. 13. 17. nam ait. *Si hæc scitis* (nimirum speculatiue) *beati eritis si feceritis ea.* quia uti alias dixi vobis: scire, in regno meo, & non facere, est scientia multis plagis condienda. III. Adiecit Dominus, quod non omnes Apostoli sui & ministri prædictam dependentiam à se sint obseruaturi, sicuti ipse seruauerat ad suum Patrem Cælestem: sed sint quidam futuri in regno suo. reuera quidem serui Christi & Apostoli (sive commissarij, missi, substituti) sed tales qui sint se gesturi tanquam principales, agentes & regnantes (instar principis defuncto prædecessore principe, qui suo non defuncti nomine agit) occupantes regalitatem Christi, saltem animo, et si specie tenus Christi nomen sint prætensuri suæ inuasioni. ita enim pergit Dominus loqui apud S. Ioannem. 13. 18. *Non de omnibus vobis dico, quod sitis beati futuri, eo quod scientes ista quæ docui feceritis, nequaquam. Qui igitur non? Ego scio quos elegerim, non uti cæteri homines, qui eligunt, nescientes quales futuri sint quos eligunt in prælatos, seruos,*

seruos, legatos, &c. Non sic ego; scio ante, aliquos non futuros mihi fideles ministros & legatos, & scio in particulari quis & qui futuri sint fideles, & qui sint futuri infideles, hoc alij Domini præscire non possunt, & si præscirent, certe eos non eligerent nec acceptarent oblatos. Ego tamen hoc facio: quare? Rationes graues habeo cur ego ita agam. has vt vobis manifestem, non patitur earum subtilitas, & vestra præsens incapacitas. sit igitur loco omnium rationum simplex eius, cui iam vt Iudæi fidem addidistis, Mosaicæ Legis seu scripturæ, autoritas; illa dicit quod, *qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneam suam*, Hanc scripturam si de quouis homine capitis, etiam de me loqui capite, si autem de certo individuo vultis intelligendum esse, ecce de me capite, iam enim probauisatis me esse, de quo scripturæ loquuntur, & ad quas implendas ego veni. Quod ergo à me eligantur in ministros ecclesiæ meæ, aliqui non futuri probi & fideles, intelligite pro nunc, fieri ideo ut adimpleatur scriptura, hæc ratio Iudæis sufficit, qui crediderunt scripturæ, & eam volunt habere pro dictamine primo. Gentilibus, non credentibus scripturæ, utpote ea carentibus, aliter satisfaciam in tempore suo super hoc meo eligendi processu. *IV. sed hæc ipsa dicenti tam solide, scio quia satis infirmiter assentiimini, & quidam omnino non assentiuntur me esse illum scripturarum Mosaicarum completorem, quid cum his igitur agam? Breuiter eis satisfacio, quia ad finem propeto, voco eos ad experientiam, do valde crassam veracitatis meæ nempe, iam, in præsentia, amodo dico vobis, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.* V. cum iam explicuisset Dominus conditiones & officia & Regulam mittendorum suorum siue Legatorum, continuo addit officium & Regulam atque priuilegium eorum, ad quos missi sui venturi essent. mirum hoc, quod hi, ad quos sui Missi peruenturi sint, debeant quidem attendere ante omnia ad signa missionis eorum qui veniunt, & si illa compererint genuina esse & credibilia, condigne acceptare missos, nempe vt Christum mittentem ipsos, veruntamen cum ita probatum Legatum Christi acceptauerint, non adeo esse solliciti de scrutinio interiorum intentionum & secretorum, quæ habeat in corde suo Christi missus, quia vt ante dictum fuit, potest intentione mala venire legitime missus, nempe propter honores, diuitias, aut voluptates aucupandas sub nomine & per nomen legationis suæ, potest etiam legitime missus, & bona intentione ingressus paulatim corrumpi, & deflectere à probitate, & apparere auarus, & violentus, & percussor, & fornicator, & adulter, & bæstialis, & Simoniacus & tyrannus, & veneficus. Cui igitur Christi missus sic aduenerit, mala intentione, cordis sui, vel conuersatus fuerit improba, & scandalosa actionis

exam.

exemplo, quid agent hi apud quos tales missi Christi versantur? Regula hæc est: *Amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Ioan. 13. 20.

**M**agnum solatium optandum, ut sciatur ab omnibus hominibus, ut pote quibus solum imponitur onus examinandi, an hi qui veniunt ad se in nomine Christi, à Christo missi sint; de cætero nihil, adeo ut æquale præmium habeant hi qui missi à Christo recipiunt, cum iis qui Christum in persona receperunt, imò æquale cum his qui ipsummet Patrem cælestem receperunt, 2. non sit etiam opus scrutari & scrupulari, an illud quod proponit vel agit missus Christi, sit bonum, an malum, quia qui legitimè missus à Christo receperunt, excusantur à Christo, si qua in re decipiantur receptores missorum suorum, quoniam ipse dixit, se inter missos suos siue *manducantes secum panem*, etiam habere discipulos, malos, proditores, fures, latrones, adulteros qui proinde tales missos seu Legatos Christi, contra Christi voluntatem discipulos, sustinet & Christi loco nihilominus habet propter missionis autoritatem, non vitæ propriæ sanctitatem, magis pure Christum honorat & amat, quam qui sortitus est Legatum Christi sapientem, sanctum & gratiosum quoniã Christianus talem sanctum Legatum Christi honorat, amans & sequens, ipsammet sanctitatem, sapientiam & iustitiam personalem missi potest videri habere pro motivo amoris, quo sane motivo caret, alter qui legatum Christi, non vitæ propriæ meritis sed sola autoritate legationis, seu mittentis recepit & tenere pergit, & ideo hic purius, alter vero solum feliciter Christum amat, si hanc Christi doctrinam caperes mundus, non adeo de Clericorum quorundam vel Episcoporum, vel Religiosorum scandalis declamarent, & doctrinam Christi ac regnum & autoritatem euerteret, quia subinde Legati Christi, etsi legitimi, ipsorum declamatorum iudiciis & regulis non correspondent, non docuissent Waldenses & similes peccatorem Legatum, legationis officio, si peccasset, excidisse, multo que minus in Legatorum legitimum locum cum peccasse putarentur, alios, non missos à Christo, sed se ingerentes, prædicantes substituisent, taciendo sibi idola vitulorum, dum Moyses noster Christus Dominus in monte & intra nubem cum Deo moratur. 3. Nec scrupulosi per debilitatem iudicii nec schismatici per pertinaciam ingenii sui se suis superioribus spiritualibus opponendo refragarentur.

*§. 57. Simoni. Simon, Simon. Ecce Satanas expetiuit vos, ut scribrates sicut triticum.* v. 31.

Quia diabolus iam audierat promissiones factas Apostolis de nouo Regno, & thronis in eo occupandis, &c. rebus, quæ iam in medium produ-

Et sunt, confestim incessit eum cupido evertendi ista verba Christi, & sciebat miseriam Apostolorum, eosque calumnia impetens uti totum, experire sibi permitti occasionem tentandi illos novos heroes regni contra sele erigendi. Et quia adhuc muniti erant gratia Dei singulari per factam synaxin, quam paulo ante susceperant, & ideo in iis nil mali demon operari poterat, petiit a Domino licentiam eos tentandi, vexandi, affligendi & agitandi, sicut fecerat in S. Iob, idcirco Prælatum suæ futuræ Ecclesiæ Dominus sollicitè admonet per repetitionem verbi: *Simon, Simon* & ei insidias demonis manifestat, dicens: *Ecce satanas expetiuit vos ut cribraret, sicut triticum, nisi vigilaueritis super vos & hic præcipue, certè cadetis enormiter, me in tentationibus meis relinquendo & pro vobis fugiendo.*

**D**omine valde apposite tentationem comparasti cribrationi & materiâ in quibus tentationem suam demon instituit cribro, quia sicut in hoc grana tritici secernuntur à paleis: grana enim remanent super cribro sordida vero & zizania sub cribro agitata decidunt & abiiciuntur. Ita profus fideles & sancti in tentatione manent constantes, impii vero & leues deficiunt & decidunt à te Deo & regno sancto tuo. ita deciderunt à te omnes apostata à religione & fide tentatione voluptatum vel opum vel honorum agitati, sed ut nihil proficiat inimicus in nobis, tu corda nostra posside, tu nos reges. Tibi in omnibus & per omnia corda nostra sint subiecta, ut non velimus, nisi quæ tibi placita sunt semper.

§. 58. *Ego autem rogavi pro ut te non deficiat fides tua. v. 32.*

Dum diabolus astute & vehementer expeteret vos cribrare, sicut triticum per varias tentationum species, præuidens calum naturaliter secururum, ex parte vestra, me interposui, ut Pontifex constitutus inter Deum Patrem & homines, & ut turba cadere permitteretur Diuinæ quidem Providentiæ permisi, meis tamen meritis & precibus interpositis effeci, ut caput & Vicarius post me in Ecclesia mea futurus, non deficeret (saltem à fide sua, qua credit, me esse Christum filium Dei viui, redemptorem & saluatorem mundi, & sic manifestabitur infirmitas humana in lapsuris & potentia gratiæ meæ in conseruando, qui nisi teneretur, certo laberetur.

**S**ed quæso Domine, quomodo verum est quod rogaueris, ut non deficiat fides Petri? quando quidem videtur defecisse, negando, & videris rogando non impetrasse indefectibilitatem? Audio hic Doctores Ecclesiæ tui respondere sic: etsi Petrus Christum ad horam ore negauerit, & sic caritatem amiserit, fidem tamen corde retinuit. Alios vero sic audio dicere: etsi Petrus eam fidem quam charitatem amiserit, in vehementi turbatione & pauore,

id fuisse ad modicum temporis spatium, adeo vt mox renata fides viuidius in eo reuixerit, hinc censendum esse non defecisse, id est non esse auulsam funditus aut radicitus extirpatam, sed turbatam potius fidem Petri ad tempus quam mortuam sed inter has responsiones, prior sola solida est obiectionis solutio. quia in corde Petri nihil video immutatum, in ore solo video confessionem mutatam, dixerat enim apud Cæsaream Philippi *Tu es Christus filius Dei*, in aula pontificis dicit: *Non noui hominem istum*. quod autem cor & os differant ex Apostolo satis liquet, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Poterat ergo Petrus in corde retinere iustitiam internam aliquam & ex ore perdere iustitiam aliam, ex qua amissa non debeat argumentari continuò etiam perditam esse alteram, nisi vnum sit cætera omnia, quod sentire est insanire.

Omnipotens misericors Deus, qui rogasti patrem pro fide Petri, eamque omni tempore clementer & potenter conseruasti, te ex corde oramus supplices, da vt in hac peregrinatione relictis deuijs regulis rectam viam, quæ à te monstrata est nobis teneamus, nempe fidem S. Petri tui Vicarij. Hæc enim non de fecit tua gratia, quia tu sic rogasti, & ex auditus es, pro tua reuerentia, iaciens eo pacto fundamentum tuæ Ecclesiæ indefectibilis in fide & fidei doctrina, ne possemus, nisi velle-mus, circumferri omni vento doctrinæ. Pro hoc tam eximio munere, quo indefectibilem fecisti Ecclesiam tuam in suo capite imensas ago tibi gratias, & gratulor omnibus hominibus, quibus dedisti hoc dono Asylum veritatis, vt possit quilibet esse certus de suæ fidei veritate si nimirum expendat, an cum, indefectibili per promissionem Christi, fide Petri conueniat, qui Romæ moriendo hæreditatem præstantissimam Romanæ Ecclesiæ reliquit.

§. 59. *Et tu, aliquando conuersus, confirma fratres tuos. v. 32.*

Quid audio Petre de te? conuerterisne? imo verò. Itaque etiam præuè auerteris à Christo? Etiam, & quomodo hoc fiet? Postea apparebit quod negando Christum non fidem abijciendo. Vnde sciam te non abie-cisse fidem ex corde? In eo quod sponte ad Pontifices & seniores non adij, obruli, prodidi, vt collega meus, nec ita fugi, vt non sequerer saltem à longè, quod non fecerunt alij collegæ fratres mei. Vnde ergo conuersus fuisti Petre? A negatione oris, quomodo autem? respiciente me per suam gratiam Domino, & quid tunc faciebas, quo tua conuersio notificaretur? os pollutum negatione laui. Vnde & qua aqua tantum dedecus potuit lauare? lacrymis ex fontibus geminis super ore manantibus. ita conuersus sum. vnum os negauit, duo oculi confessi sunt iterum. tantane virtus inest lacrymis?

mis? Omnino, amarae sunt, falsa sunt ex se, & ex Christi gratia efficaciae res factae sunt propter quod amare fleui. Quomodo autem tuis cum fratribus egisti, qui plus te lapsi sunt omnino à Christo dilapsi? Dominus mihi ostendit, *Confirmationis* verbulo. quid hoc sibi vult? catechizando post resurrectionem Domini, postea manus imponendo confirmationis sacramentum Episcopus omniam impertiui. Itane? nonne & ipsi erant Apostoli, vincti postea Spiritu Sancto vti que erant, nihilominus dixit mihi Dominus, *Confirma* Fratres tuos, hoc feci. quo modo? quomodo confirmatus homo, nempe *Chrysmate*, unguento salutis. nam & tali materia se confirmant naturaliter, qui naturaliter infirmantur. Habent pixides suas balsami, oleorum &c inde se confirmant. Quod natura homines docuit, auditis verbis Domini mei intellexi, & quia mandauerat mihi, impleui verbum eius, & bene cessit. in fide stabiles manserunt fratres mei Apostoli, Episcopi terrarum, nemo à fide postea defecit, tormenta passi sum, imo animas suas perdiderunt, fidem non amiserunt, Ecclesia Romana, mandante Domino confirmationem, me exequente recepit, efficientiam gratiae diuinæ in materia & forma confirmandi vidit, Sacramentum agnouit, populos docuit, in concilijs confessa est. Sic Romana Ecclesia fundata per me, Sacramenta, in vltima cæna accepta à Domino accepit: Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, ordinem, Baptismum ibi, *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes.* Confirmationem, & quidem ab Episcopo solo dandam, ibi: *Confirma* fratres tuos, Eucharistiam ibi *manducate hoc est corpus meum*, Ordinem ibi: *Accipite, Hoc facite, in meam commemorationem*. Pœnitentiam, ibi, & tu conuersus, cætera duo Sacramenta alio loco Dominus reuelauit.

**D**eus meus, video & agnosco quanta in vltima cæna tua feceris mirabilia pro tua Ecclesia, deficio cogitando, quomodo tam breui tempore potueris omnia illa præstare. Sed recogitans te Deum esse, omnia tibi possibile esse agnosco. Profecto gaudia habet & firmissima fundamenta Romana Ecclesia, quæ tantis nititur in Apostolo suo Petro fundamentis, Christo primum, deinde Petro, cui collatus etiam est à te, Domine, principatus, seu primatus, in hac ipsa vltima cæna, cum ei dictum est *Confirma* fratres tuos, quasi diceres; Ego Christus, vinctus à Patre meo, confirmo te, dicendo non deficere fidem tuam, & do potestatem tibi confirmandi cæteros omnes, qui credicuri sunt præter te. O vos misere seducti populi separationis, quomodo à tam solidis fundamentis recessistis, sequentes ducentium Apostatarum monachum, furiose iratum in papam? vel potius sequentes affectus cordis vestri, quibus male blandiebatur iste passionibus cordis

fui abundans, vti vos ipsi, reuertimini ad matrem vestram, ad Ecclesiarum Magistram, Columnam & firmamentum veritatis, & nolite dicere amplius. Verbum Domini, verbum Domini, quod non est verbum Domini. Verbum Domini apud Petrum quaerite non apud Lutherum, Petrus confirmatus est à Domino, iste iussus est confirmare fratres suos, ibi tuto confirmamini, vbi & ego confirmatus sum, & acquiesco per gratiam Christi.

§. 60. *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ite. v. 33.*

Iam confirmatus erat Petrus à Domino in cena ultimâ à Domino Nostro Iesu Christo Pontifice animarum omnium, & quidem solus, cæteris ipsi commendatis ut confirmarentur ab eo; & ecce statim virtus Sacramenti operatur in ipso, qui ait, Domine, tecum paratus sum &c. quomodo ergo paulo post euenit, vt deficeret? vt negaret? qui ita confirmatus erat, sicuti etiam ipse sentiebat & dicebat! Agnosco opus esse distinctione pro bona dictione; confirmatus erat Petrus in fide, nondum in confessione, à fide non defecit, à confessione, defecit, quare à fide non defecit? in ea confirmatus erat, cur à confessione defecit in ea nondum confirmatus erat, sed confirmatus est in pentecoste, quando etiam statim erupit, & confessus est, & postea confiteri tota vita non cessauit, nec cessabit amplius confiteri in fratribus suis. Itane verò. Imo. Veruntamē B. Marcellus Papa, Petri successor confiteri detijt, cum thurificauit idolis; & B. Martinus, cum subscripsit nescio quibus pragmaticis scriptis, an confirmatio in confessione est Petri personale bonum, & non hæreditarium? Nec hoc reor, quomodo ergo isti in Petro confirmati desierunt confiteri? an dicendum est, non ore deseruisse, confessionem sed manu contrarium ori suo designasse? Ego ita dicenti nolo repugnare, sed quæcumque pudica, sancta, casta, Deo & SS. eius honorifica acceptate.

**D**eus meus gratias ago tibi, qui in Ecclesia tua Catholica, per Sacramentum confirmationis in fide, & confirmationem aliam in confessione fidei tuam Ecclesiam Catholicam mirabiliter exornas & propagas. Ecce hodie dum in Anglia, Scotia & Hibernia certatur ad mortem ab his, qui confirmati sunt vtraque confirmatione tua, in Hollandia certatur, ad confiscationem bonorum fortunæ ab his qui eadem confirmatione confirmati sunt, & vbique certatur à confirmatis tuis. Hæc sunt potentissima castra tua, Domine, in quibus glorificatur potentissima dextra tua. hi sunt sexaginta fortes, de fortissimis Israel, qui tenentes gladios vigilant super custodia thalami tui. Hæc est gens sancta, electa & parata ad immortales Coro-



nastuas. Horum fortium ferax fuit omne sæculum tuæ Ecclesiæ, impietatis priora quando calebat adhuc zelus & potentia Gentilium persecutorum, nec vltimo modo defecit. in hæreticis nostris, qui etiam Turcis & gentilibus duces sese præbent ad persecuendos eos, qui à te Domine confirmati sunt, sed tu Domine eos saluas, etiam coronas post certamina etiam si falsis ritulis, pulueris, & suffossionis, & prodicionis, & perduellionis &c. ab inimicis crucis mandentur. Tibi igitur gloria in sæcula, & propter te & sanctas operationes eius ipsi Sacramento tuo, cuius me quoque participem effecisti.

§. 61. *At ille dixit, dico tibi Petre non cantabit hodie gallus donec abneget me. v. 34.*

Apposite, nondum sciebat Petrus aliud esse si esset confirmatus in fide, & aliud esse si esset confirmatus in gratia. Sed & nos id ignoraturi eramus, ecce bonus Doctor & saluator noster, medicinam adhibet capiti, ut totum corpus sanetur. ostendit fragilitatē Petri in vno firmitatem in altero. Inde sanamur. Labitur Petrus à confessione in fide tamē non infirmatur. Hinc iam nemo sibi fidit, cogitat quisque se hominem esse Petro non firmiorem, æque & plus quam ille posse tibi dicitū, sibi videat, qui stat, nec cadat.

**D**eus humilium celsitudo & fortitudo debiliū, confirma quāsumus quod in nobis es operatus, vt nos metipso & sæcularia desideria abnegantes, te in nullo negemus, sed fidem tuam quam lingua nostra loquitur etiam moribus vita fateatur. Dolor mihi est interim, quod pium factum tuum Domine, circa nos, quo in Petro capite nostro & pastore, adhibuisti medicinam, quædam putrida membra in sensum reprobatum data insolent pietati tuæ & Petro dilecto tuo, quod iactabundus fuerit, quod defecerit, quod sit præclarum (scilicet) fundamentum, qui ita defecerit &c. Domine, isti nec mysterium pietatis tuæ circa se agnoscunt, nec reuerentiā debitam capiti suo.

§. 62. *Et dixit eis, quando misit vos sine sacco & pera, nunquid aliquid defuit vobis? v. 35.*

Christus Dominum regnum Dei, quod intra nos est, aperiens, id est Ecclesiam suam Catholicam fundans in vltima cæna, vetus testamentum cum honore concluserat & seposuerat, uti §. 19. ostendi) & apud noviter collectum populum nempe Apostolos XII. Novum testamentum se ordiri dicere professus erat in institutione eucharistica. §. 3. & §. 3. Etiam Sacrificium

corpus & sanguinis sui, pro veteribus sacrificijs dederat, vti §. 36.  
 docui, & consequenter templa mensam seu altare, corporale, calicem, pane-  
 nam & cæterum apparatus huius sacrificij sanciuerat exemplo suo. etiam  
 cæteronias novas addiderat §. 31. & insuper sacerdotes novos, pro Leuiticis  
 lanionibus, incruente operaturos quod cruento ab illis fuisset oblatum, or-  
 dinarat §. . Sacramentum baptismi, iam antea introductum hic repetendo  
 stabilauerat optimè, in mentione totalis ablutionis mundantis totum  
 hominem, apud Ioan. 13. 10. & pænitentia Sacramentum in partiali ablu-  
 tione hominis, nempe pedum Apostolicorum etiam ob oculos posuerat a-  
 pud Ioan. loc. cit. & in mentione conuersianis S. Petri apud Lucā. 22. item Cō-  
 firmationis Sacramentum instituerat, vti ostendi §. 58. & 59. modum etiam  
 communicandi tam laicum, quam sacerdotalem cum celebrant distinxer-  
 rat. §. . . . Maiestatem etiam Ecclesie suæ prælatis dederat in assignanda  
 sessione super thronos, & iudiciaria potestate §. . . . nec minus Iurisdictionē  
 distinxerat eamque limitatam dispersiuerat, assignatis in xii. Apostolos,  
 xi. tribubus. Declarauerat etiam in sua Ecclesia malos bonis fore permix-  
 tos, & quidem in Sacerdotali etiam ordine, futuros subinde pessimos, dum  
 questus est de proditore secum recumbente super mensā suā. Luc. 22. 21. de-  
 clarauerat etiam discrimen esse inter virtutes & vitia, illis præmia, his pæ-  
 nas esse constitutas, in verbis: Vos autem estis Luc. 28 & illis *Va autem homini*  
*Eccl. Luc. 22. 22.* Ad hæc prædestinationem & præscientiam Dei, non vrgero  
 quenquam ad peccata edixerat. ibid. Luc. 22. 22. Esse & gratia suam vim &  
 nihilominus liberum esse arbitrium, ibid. & Ioan. 13. v. 17. 18. 19. quod &  
 mox patuit in S. Petri confirmatione quo ad fidem, & lapsum quoad con-  
 fessionem. §. 58. & 59. & eadem opera declaratum erat quod diuisiones gra-  
 tiarum essent, ita vt potens ad vnam, non continue reddatur potens ad al-  
 terum. ibid. Ordinauerat etiam formam regiminis pro eadem sua Ecclesia  
 Luc. 22. v. 24. 25. 26. 27. in qua forma vni etiam Petro dederat primatum  
 super omnes, eūque ideo in fide fideique doctrina stabilauerat, Et esset tam  
 certus tam infallibilis, quam cōmunis Magister. §. 31. & 32. non tamē in alijs  
 casibus extra doctrinam fidei & morū. ibid. v. 33. & 34. sed & declarauerat  
 Apostolorum & successorum post ipsos potestatem esse limitate ex-  
 ercendam, sicuti ipse Dominus limitasset se semper ad Patrem suum. Ioan.  
 13. 16. cum hæc similiaque, plura hic non repetita, hoc loco disposuisset  
 Dominus, etiam temporalium rerum curam pro Ecclesia sua, maximè quo  
 ad eius Apostolos, ac Sacerdotes seu clerum ordinat Luc. 22. 38. vti in §.  
 huius tituli positum est. nimirum, si ipsi intente & sincere seruiant sibi in  
 Apostolico munere, necessaria eis (etiam si non appareat vnde) nunquam

defore, sicuti iam triennali experimento eis nihil defuisse ipsi satis scirent, & fateri vellent, quod & fecerunt.

**M**ira rest mira promissio! quis eam caperet, nisi Dominus omnium esset iste qui promittit: credo tibi, Domine, quia tu es sub cuius ditione cuncta sunt posita, qui Elia cibando preparasti viduam, & Angelum qui B. Paulo in eremo alendo coruum panis diurni baiulum, qui eidem & B. Antonio hospiti annonam duplicasti, qui millia nunc quaterna nunc quina de paucis panibus vel pisciculis satiasti. Tibi credo, sed & clarissimo experimento in Ecclesia tua Catholica video ita fieri, sicuti tu promissisti. Ecce Catholicus mundus habet milliones sacerdotum, & adhuc plures clericos & monachos & moniales, pauci de his labore manuum suarum vivunt, sed tibi cantando, legendo, orando, studendo, proximumque iuvando seruiunt. habent insuper seruos & ancillas, & tamen vivunt, & abundantius habent, vnde vivunt, quam hi qui manibus saepe laborant, & tamen tu Domine omnipotens, quia sic dixisti, imo promissisti mirabiliter pascis eos. Et hi ipsi ab haereticis, ab impijs, & a bellis saepe diripiuntur, & tamen tu Domine mirabiliter pascis eos. Impleuisti promissionem tuam. Venerunt Ordines iam multi, vt in multis ciuitatibus aedes continuantur pene, & vrbes in vrribus construxerunt instar palatiorum & basilicarum, pauperes & nudi aduenerunt, tibi seruiuerunt, tu Domine, ditasti eos, sed & ipsi laici apud tuos Catholicos, illius benedictionis, non sunt expertes, participant, & illi de hac prouidentia tua, Habent illi in anni decursu dies festos praeter diem septimum plurimos, habent ferias, ordinatas a Magistratu Ecclesiastico, quibus omnibus non laborant, & tamen felicius habent, quam vicini eorum, qui a fide Catholica recesserunt, & pro quiete sublato assumerunt laborem, pro orationibus arumnas, pro iubilo & diuinis officijs omnis generis industrias humanas veteres & nouas, etiam imposturas & tamen hi tenuius sustentantur quam Catholici. Isti aliena templa rapiunt, inter suam pro pane laborandi industriam & non sufficiunt sibi: hi etiam Nova templa & monasteria aedificant & sufficiunt sibi, & alijs. Isti, beneficia Ecclesiastica infinita, eorumque ingentes proventus confiscant, & comedunt inde pauci (unius praedicatoris familia) & non satiantur, cum eadem bona Catholici habebant, vel habent, 40. 50. 60. & plures facillime alebantur. Ommitto caetera quae vidi, & mecum vident qui ad ista attendunt. Vnde ista sunt? Ab eo vtrique qui audacter quaesuit: *quando misit vos sine pera, nunquid aliquid defuit vobis? Ille idem quos non misit, sic non benedicit. Sed potius vt videmus maledicit, quia fructum adinventionum suarum manducant.*

§. 63. At illi dixerunt. Nihil. v. 36.

Bona confessio quia vera, quia Deo honorifica. Ecclesie Catholice singulariter proficua non habent in hoc verbo & confessione partem impij. Semper eis deest aliquid, semper murmurant, alienis inhiant, prodigunt sua. At Christi discipuli vocem habent: *quando misisti nos, nihil defuit nobis, etiamsi sine pera, sine sacculo mittebas. Tu Domine miro modo prouidebas. Vnus sponte nos vocabat, alius rogatus promptè omnia sua offerebat; etiam de inimicis tuis, ipsi sine infidelibus quoties, & quando, ita placebat tibi, hoc aliqui agebant.* Sed cur ita loqui possunt Catholici, maxime qui de clero sunt, & de sorte Domini, & non possint ita loqui & confiteri Domino impij, qui à Deo non sunt missi ad regendas ecclesias, causam iam exposui, nimirum Dei prouidentia pseudo-Apostolis proprio modo quousuis succurrere recusat Dominus: & ipsi Spiritum Apostolicum, paupertatis voluntariæ non habent, nec uerunt, imo rident uti fatuum. Spiritum illum paupertatis cui nihil desit, verbo, Vestem nuptialem non habent, iubentur exesse.

Domine Deus, ego tibi in omnium illorum persona supplex gratias ago, quos à tempore Apostolorum nunc usque tam mirabiliter, quam suauiter enutristi, vestisti, hospitij excepisti, eo quod in suo ministerio erant occupati, ad quod à te erant missi. Pro omnibus toto orbe constructis pro Catholicis templis, ac sacellis, pro collegiatis Ecclesijs & earum redditibus sæpe sumptuosiss; pro Monasterijs atque cellis, pro omnibus eorum proventibus & oblati, Tibi gratias ago, & laudo. opus magnificentie tue sunt hæc omnia, Te clamant, te loquuntur. Sed cur ô Deus, permittis ut ista aliquando peruadant Turcæ, ludæi, Reformati, Lutherani, & sacrilegi? quare permittis ut veniant hæ Gentes in hæreditatem tuam & polluant non templum tantum, sed templa plurima? tota Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Suecia, credo Domine, quod ita id fiat, uti in Machabæorum libro 2. cap. 6. scriptum est non ad interitum, sed ad correptionem generis nostri, non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, ut eas in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet, sed statim ultiones adhibet, & hoc magni beneficij est indicium.

§. 64. Dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram. v. 36.

Paulo ante Dominus ordinauit, quomodo quoad temporalia bona debeant Ministri Ecclesie esse prouisi, nempe *mamilla Regum lactandos esse; nihil eis, Domino laborantibus, & iustitiam regni Dei querentibus, defuturum. nunc*

H 3

etiā

etiam ordinat quomodo bona temporalia. quæ Ecclesiæ suæ acquisita fuerint sint dispensanda. Nimirum probe ac frugaliter esse conseruanda, ad vsum cleri ac pauperum ordinariæ, vti recta ratio docet, & non opus est doceri à Christo D. N. quoniam in eum vsum data & legata fuerunt. Si tamen extraordinarij casus incidant, quomodo in eis administri bonorum temporalium Ecclesiæ, vel potius prælati eiusdem se gerere debeant, Dominus expressè ordinat, quoniam hoc rationi erat obscurum, cogitante illa sic: *Domino dicatum nefas est tangi, nefas vnquam alio vertere, quam ad eius ministerium vsum &c.* quid igitur in casibus extraordinarijs, vt persecutione bello ab infidelibus illato? & similibus ordinauit Dominus de bonis Ecclesiasticis? Non hoc, quod illa bona sic debeant seruari, ut & ipsa Ecclesia, & Ecclesiasticæ simul pereant personæ, vti quidam fecerunt, sed in talibus casibus, bona ipsa Ecclesiæ adhibenda sunt ad defensionem Ecclesiæ, & personarum eius contra inimicos ecclesiæ potius, quam vt bonis illis parcendo & ipsa, & Ecclesia & personæ amittantur. Faciet ergo prælatus ecclesia in duro necessitatis articulo, quod Dominus ostendit, *Tollet sacculum, tolle & peram*, imo vbi illa defecerint, *tollet & vestimenta seu tunicas sacras*, & vendet & defensionem Ecclesiæ admovebit. quid enim in hoc casu prodesse teæ seruare, quibus seruatis & Ecclesia & ministri eius peribunt & inimicus Dei, de bonis Dei ditabitur?

**D**omine Iesu, video & admiror sapientiam tuam admirabilem in hoc vltimo tempore vitæ tuæ, in quo omnis homo impendentibus sibi tantis rebus, fuisset turbarissimus. Vere plusquam Salomon tu es, si te audirent tui, tam obsequenter, quam tu sapienter eos doces, certe statui Ecclesiarum semper esset melior. Vidimus tempore nostro irruentes feros apros à septentrione in tuas Ecclesias, ad depascendum eas, quid fecerunt prælati Ecclesiarum multarum? cum sacculis suis aliqui fugerunt, aliqui eos defoderunt, mutis inluserunt, &c. & non alienarunt pro ecclesiæ suæ bono promilite scribendo, pro gladijs &c. & quid factum est? & sacculos & Ecclesias & se personæque perdidit & quare perdidit? Sacculos ex consilio tuo, Domine, non tollebant, sed seruabunt cum Saule seruante pinguisima gregum ad immolandum. Non fecit hoc Archidiaconus Laurentius, non præcepit hoc Sixtuseius Prælatus: non fait hoc consilium datum à te Domine. Iustior es tu, quam vt talia consilia dares, quæ tam perniciosos euentus monstrauerunt. Et adhuc aliud tuæ summæ sapientiæ documentum è paucis illis verbis elucet. Etiam ordinem in alienandis pro necessitate summa rebus ecclesiæ dictasti. nimirum tollere *Primum sacculos*, vt pote  
minus

minus necessarios, cum sint custodes pecuniarum, quibus amotis ipsi nullius usus efficiuntur. Deinde post hoc peram, quo nomine omne vensile extra vestimenta notatur, Denique tunicam, quo nomine pene supreme necessaria iudicantur. Ecce Domine, ita te intelligo, & tuam iterum sapientiam & laudo & admiror, & quantum possum de prædico.

§. 65. Et qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. v. 36.

De horum verborum sensu, iam liquet ex dictis in præcedenti §. quid igitur hic amplius potest dici vel cogitari? Hoc mirum videri, quod Dominus ordinans suum Testamentum, seu supremam dictans voluntatem suam, iubensque per suos emi gladium, etiam veste sua divedita, paulo post in hortu venierit Petrum, unum, imò maximum, ex suis uti gladio! quid enim est hoc eme gladium tanto dispendio tuo? & noli uti gladio ad id ad quod creatus est? non enim Petrus utebatur gladio iussu emi, ad viatores spoliandos, vel ad invadendas alienas domos vel pecunias, ut multi solent, sed ad hostem Dei & Ecclesie propulsandum ac puniendum.

Domine, nescio ista conciliare nisi tu suggeras. Doce me, & ego audiam te. quid igitur audio. Et bene te iussisse, ut emeretur gladius, & bene te prohibuisse usum gladii Petro, aliud enim est gladium emere, & aliud gladio uti. emptio enim licita & suavis esse potest, usus emptæ rei aliquis illegitimus esse potest. An igitur usus gladii à Petro in Malchum illum nequiculum & latrocinantem districti erat malus aut illegitimus? Vtique, quia iure est inhibitus? & quare erat iste usus illicitus? Testamentum, in quo emptio gladii ad certos casus Ecclesie erat suasa, vel mandata, & consequenter rationalis eius usus imperatus, erat, nondum erat consummatum morte testatoris, qui eras tu ipse Domine, Petrus vero ante tuam mortem iam exequi volebat quod in testamento tuo dictaueras. Hoc malum erat, post mortem tuam malum non erat, Gratias ago tibi Domine pro eo, quod hoc revelasti mihi, qui doees parulos scientiam, amplius obsecro illumina me.

§. 66. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est oportet impleri in me. v. 37.

Disposuerat Dominus testamento suo, de bonis temporalibus Ecclesie suae obuenturis, etiam dictauerat, quomodo ea in necessitate essent tractanda, nempe alienanda, ut Ecclesia sua armis prælatorum defenseretur, quando via iuris eis obstruitur. Hoc verbum cum discipuli Domini, nondum à spiritu S. illuminati audissent more naturæ humanæ, confestim

(ad hoc, quod secundum genium eius sapit, prompta) ceperunt exequi quod nondum erat exequendum, nempe arma circumspicere pugnaces, Dominus igitur videns eorum cogitationes & armorum inquisitionem (forte etiam unus & alter surrexerant, & à Domino Dominus tam prompto, vel servis eius arma commodato accipiebant) sistit cæterorum idem machinantium impetum monens signo ne à mensa recedant & arma querant & causam dicit, *dico enim vobis*. quid? Nondum est tempus gladios illos, de quibus emendis dixi, comparandi. Et quare nondum est tempus testamentum condit Dominus, ita enim præfatus erat his quæ nunc dicuntur post S. Eucharistiæ inchoationem. Testamentum vero executioni non debet dari, antequam sit confirmatum. Et quando id confirmabitur? morte testatoris? quando autem illa apparebit? quando cum iniquis reputatus erit, pendens inter duos latrones. Ecce, hoc dixit Dominus discipulis qui nondum consurrexerant ad arma capienda, cum dixit: *inhibendo: quoniam adhuc hoc, quod scriptum est oportet impleri in me.* nempe testamentum quod nunc scribo in cordibus vestris per auditum, prius debet impleri seu confirmari in me testatore. per quid autem? per impletionem eorum omnium quæ de me scripta sunt in Veteri testamento.

**D**omine quid in Veteri testamento scriptum erat de te adhuc implendum cum testamentum tuum condebas? multa utique, uti docuit eventus sequenti nocte & die, quorum summa summarum erat cum iniquis reputari, hoc reputati te cum iniquis, volebas armis propelli, sed impleri: reputati autem cum iniquis servos tuos post mortem tuam, sinebas armis propelli, idcirco de armis comparandis consilium ante dedisti. Vere Domine amasti nos plus, quam te, te noluisti defendi armis, tuo verò defendi permisisti, imo si prudenter fieri possit, media suggestisti. Vicissim igitur ament te omnes mecum, plusquam se ipsos, libenter sinant se petire, ut tuus honor servetur.

§. 67. *Et cum iniquis deputatus est. v. 37.*

Præter alia de me vaticinata, adhuc hoc in me implere debet. *Et cum iniquis deputatus est*, id est habitus inter iniquos iniquissimus, inter malos pessimus, inter puniendos maxime puniendus, qui tamē summe innocens, tum me bonus, qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius, & ipse erat ipsa sapientia, bonitas, clementia, modestia, humilitas & virtus ipsa, ideoque merito laudandus, glorificandus, coronandus inter creaturas, fecit hoc impietas Iudaica, ut Christus, qui in se ipso innocentissimus erat, scelera illorum reus fieret, credereturque ab omnibus similis illis esse in  
mor-

motibus, ut reputaretur esse inter quos pendebat, ut sic per alienam malitiā saltem infamis fieret, qui ex sese iustissimus esset, sed nihil refugit humilis Iesus inter illos estimari pro quibus mori desiderabat.

**E**cce homo quomodo Dominus tuus Iesus Christus, cum sceleratis annumeratus est in terris, ut nos Angelorum gregibus iustis in celo annumeraremur. Obliterata est aliquamdiu apud homines opinio nominis eius, ut nomina nostra aeternum ascriberentur in libro vitæ, si ergo consideremus ignominiam Regis Angelorum non magno opere solliciti, esse debemus, quo loco nos habeat mundus. Ne pudeat nos pro Christo apud homines esse contemptos; quando ille coram inimicis suis tanto pudore est affectus.

§. 68. *Etenim ea, quæ sunt de me finem habent. v. 37*

Quæcunque dicta, scripta, prænuntiata, figurata de me per vates, patriarchas, prophetas finem habent, id est vel completa sunt, vel iam paucis adhuc horis & diebus implebuntur, & sic testamentum meum Novum confirmabitur, & tunc executio testamenti meo dictatorum debet fieri, non ante, & cum mea mors & passio ad optimum sit ordinata, quia finis & bonum conuertuntur, & finis à Deo intentus non potest non esse optimus. idcirco modo dictata, de gladiis comparandis, etiam rebus Ecclesiasticis distractis, ut Dei Ecclesiæ & membris eius succurratur in grandis necessitatis casu, nolite mihi erroneè adaptare, quasi pro me debeatis gladiis pugnare, ne capiat vel patiar ab inimicis.

**Q**uid nunc restat, bone Iesu, nisi ut laudem & benedicam tibi, qui tam libenter vitam tuam ponis pro me, ut nolis Apostolos tuos pugnare pro ea. Iustum est igitur, quod coronam gloriæ adipiscaris, quam celestis Pater dabit tibi in ipsa Exaltationis tuæ die, nempe Resurrectionis cum omni potestate in cælo, & in terra, cui me potestati humiliter subiicio, & cum gaudio, deprecans ex hoc te Dominum meum, ne sinat me alterius vquam potestati subiacerem nisi propter te.

§. 69. *At illi dixerunt: Domine, Ecce duo gladii hic. v. 37.*

Interea dum prædicta commonitione cum his qui non consurrexerant differit Dominus noster, hi qui subito exsurrexerant & impetu arma corripuerant extra cænaculum, eadem inferentes, dicunt Domine, ecce quod iussisti, implevimus, gladios accepimus, saluis etiam peris nostris & tunicis. Jam inbe quod vis, & videbis quod simus facturi pro te, prodeat, si quis



quis est aduersarius tuus. &c. Plures modo gladios inuenire in domo hac non potuimus, si placet Domino ulterius quæremus in domibus vicinis, pro tui defensione & nostra, hæremus enim firmiter in dictis & pollicitationibus nostris, quod parati simus tecum etiam in carceres & mortem ire, si gladii hi non sufficiant.

**V**ere homo carnalis non sapit ea quæ sunt spiritus, sed quæ carnalis Adam hæreditate ad suos transmiserat hæc à teneris vnguiculis homo valde caput. Inde pueri iocos & lusus, adolescentes vitia iuuenilia viri, scelera, senes irrationabilem parcitatem & timorem omnium rerum anxium didicerunt. Inde pugna & rixarum amor &c. miserabiles passiones. sic Apostoli hic admodum audaces sunt & fortis animi videntur, magis tamen est confidentia carnalis, quam fortitudo solidæ virtutis, audaces enim sunt, cum vident adhuc Dominum secum; & potentem resistere: sed ubi Christus potentiam suam paulo post absconderet, cessabit etiam ista fortitudo & magnanimitas, ex quo patet quod non ex virtute processit hæc audacia, alioquin etiam in aduersis perdurassent, nec aufugissent Christo capto, vel iam capiendo.

A diuina me Saluator, vt viriliter decertem potius pro mea salute & militarem aduersus voluptatem carnis per penitentiam; neque permittas, vt vquam amplius retro conuertar ad mundi huius, aut carnis illecebras, sed stabilis tuo in amore permaneam, tu enim es Deus penitentium, & ego spero in te, Iesu meo, in quem sperarunt gentes, nec pudore sint affectæ, serua me in finem & deduc me ad vitam æternam & salutarem: da fortitudinem contra malignum, ne gloriatur præualuisse contra me; sed viriliter agens, pro mea salute, cum in virtute tua prosterantur.

§. 70. *Ar ille dixit: satis est. v. 37.*

Dominus volens citò compescere bellicam animositatem discipulorum istorum, qui non intellecta Domini sui mente, ante tempus conuolauerant ad arma capiendâ, bruto impetu, breui verbo usus ait: *satis est.* quod dupliciter intelligo. Primo, sic cessate, quomodo Magistri discipulis suis dicunt, *satis est,* cum eos facessere & ab aliquo abstinere admonent. & religiosorum quorundam mos inoleuit, vt dicant lectori mensæ præfides: *satis est.* Alio sensu sic: duos gladios attulistis, iam tunc plures afferre estis parati. nō opus est plures procurare, isti duo ad propositum sufficiunt.

**V**ter horum sensuum tuus sit, Domine Iesu, nondum scio: credo quod uterque sit tuus, sed prior positius intentus, posterior permissione ad-  
nexus.

noxus. Si erro, moneri desidero. Sed quid vos Apostoli cum duobus gladiis: quomodo in hunc numerum & non unitatem, vel in dualitate maiore non incidistis: certe id casu non est factum, sed Deo dirigente vestram inquisitionem. Sed & quæro vos, qui fuerunt illi duo Apostoli qui duos illos attulerunt? Ego ex illis Petrum fuisse suspicor, quia illum paulo post, improviso licet, gladium eduxisse videmus, nec dubito quin alter fuerit S. Ioannes, hi enim duo iam apud Dominum domus innotuerant, ut Legati ante aduentum Christi Magistris sui, cur autem hi duo duali numero asportauerint gladios, non caret mysterio, apto ad significandam duplicem potestatem in Ecclesia, nempe *Ordinis & Iurisdictionis*. Ordinis gladium in S. Ioanne, Iurisdictionis in S. Petro agnosco, & utrumque reuerenter cum sua potestate honoro.

§. 71. Satis est. v. 37.

Eadem phrasis absolute accipi potest, aliter pro formula indicentis finem, an autem allatis duobus gladiis & Domino monstratis, Dominus eadem formula finem simul imposuerit conuiuio sup ultimo in mortali corpore celebrato, dubitari potest, S. enim Lucas continuo ei verbo subnectit illa: *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum*, sed S. Ioannes videtur aliter informare, is enim plurima adhuc refert, post ista Christi verba & acta fuisse introducta, nempe, cap. 13. 21. *Cum hoc dixisset Iesus turbatus est spiritu & prostratus est & dixit: Amē amē dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me*, quasi armis visis vehementius commotus ille agnus Dei diceret: vos quidem nunc feruetis zelo quodam, & duo iam gladios pro mei defensione acquisuerunt, & cæteri erant parati ad gladios statim quærendos, nisi eos cohibuissem, quam bene, non dico nunc, hoc tamen dico, verissimum esse, quod vnus ex vobis ita zelum suum ostendantibus me tradet inimicis meis.

**A**spiciant ergo ad inuicem discipuli, *hesitantes de quo diceret Ioan. 13.* Iam antea statim a distributione Eucharistica conquestus erat leniter Dominus Iesus, quod *manus tradentis se secum esset* in mensa, ut vidimus supra s. sed eum non tanta emphasi, quanta modo, in armorum insolenti apud se strepitu, hoc dixisset, leuiter auditum, leuiter est transmissum, nunc autem commotis per armorum auditum & spectaculum animis intentius de eo ceptum est cogitari inter discipulos, & examen fieri per visum, an nempe aliquis eorum expallescere, metum & tremorem & deiectionem vultus incutiente conscientia. At cum hoc examen non procederet Iuda male conscientio frontem perfrectam ostentante & quæ, atque innoxii Apostoli, ad aliam

formam inquisitionis est progressus S. Petrus: nempe *Erat recubens vna ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus* (nempe Ioannes) *innuit ergo huic Simon Petrus & dixit ei: quis est de quo dixit. acuta & prudens erat ista forma inquirendi, nempe per intimos seu familiarissimos explorare indicia & sensus secretos alicuius, quod hic S. Petrus fecit, ita enim Moralis Philosphie Professores docent; Vicia alicuius ex inimicis, secreta ex amicissimis, bona ex amicis, tempora fandi commoda ex ministris esse indaganda. Itaque cum recubisset ille supra pectus Iesu, nempe Ioannes (viden' quod antea §. 70. coniectabam bene S. Ioannem & Petrum conturrexisse citius aliis ad arma capienda, si enim non surrexisse insinuaretur, quare deuo recubuisse diceretur?) dixit ei: *Domine, quis est?* Respondit Iesus: *ille est, cui ego intinctum panem porrexero.* Intinctum vel humanitatis singularis indicio erga inimicum iustificandum contra Satanae seductionem, vel intinctam significando mysterio, quod Vtraquista, siue intinctam Eucharistiam, vsurpaturi Hussitæ, & Lutherani & Calvinistæ &c. sint ex parte mali huius hominis, & primus eorum pater sit Iudas proditor. *Et cum intinxisset panem dedit Iuda Simonis Iscariotha & post buccellam introiuit in eum Satanas.* Horrendum mysterium, quo indicator, quod vtramque speciem contra Ecclesiae morem accipiens, pro Christi Domini ingressu, excipiat vere terribilissimum stygis Dominum quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. cui: Ecclesia Christi, ita ipse Dominus conditor Ecclesiae dixit. *qui autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Sed dicit homo non acquiescens Ecclesiae, siue protestans aut repugnans: *Volo testamentum Domini & Patris mei Iesu Christi: nolo mihi subtrahat hoc Ecclesia.* O homo quis te constituit Iudicem supra Ecclesiam! non vides sic agendo turpitudinem tuam magnam? recordiam magnam non vides? noli mirari, intrauit etiam in te Satanas, demonium excaecans, ora Dominum, vt videas. sed quid factum est, Satana post buccellam intinctam ingresso in Iudam? perge Ioannes recensere: *Et dixit ei Iesus: quod facis fac citius.* quid autem est hoc? Hoc nemo sciuit discumbensium ad quid dixerit ei. bene ait nemo sciuit nempe tunc, nam paulo post, quilibet sciuit, quando & traditio eius, & suspensum & effusio viscerum innotuerunt in tota Ierololyma. Veruntamen an Christus dicendo proditori hoc verbum, *Fac citius,* ad scelus incitauit vel impulit, vt Gommarista cum Caluino blasphematur? Non incitauit, sed incitati ad scelus iter & tempus breuiavit, non est hoc incitare, sed de prolixo & magno malo breuius & minus efficere. Est iniquus damnatus ad supplicium, scit se posse cito absolui, & mora cruciari, idem ferendo supplicium; reus orat carnificem, vt accelleret. quid orat reus talis? supplicium ne? non certe sed breue supplicium, quid*

quid est breue supplicium? utique breuitas eius. quid est breuitas supplicii, aliqua bonitas, appetibilior prolixitate. ista potest rogari, imo imperari. Simile quid reperies in verbo ad Iudam. *quod facis, fac citius.* id est si omnino destinaſti patrare scelus, non impedio libertatem, breuiter percurrere illud, vt grauius non pecces morositate. peius enim est duabus horis tenere animum destinantem scelus, quam idem scelus vna solum hora destinare. Hoc dictum tunc non intellexerunt Apostoli, postea spiritu S. docti intellexerunt, & sensus alios subesse coniectarunt, *quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas,* quod dixisset ei Iesus: *Ene ea quae opus sunt nobis ad diem festum, aut egeris vt aliquid daret.* Ecce probi genii homines probas in mente sua versant explanationes, nempe suo pede merientes alios. quia enim conscientiam habebant immunem à prodicione vel alio scelere, eodem vacare etiam Iudam arbitrabantur: sed decipiebantur. Hoc innuebat, qui dicebat *Religiosi decipiuntur & decipiunt.* decipiunt male informando de improbis vel aliquid rogando pro indignis. malone animo? Non. quomodo ergo ad hoc inducuntur? putando commendandum suum esse vti sunt ipsi probi. Multi student scire secreta. vis scire secreta cordis alicuius, vide quas formet de aliis opinioniones, quales format de alijs, sine experimēto, talis ipse est cordis homo. Hinc Apostolus aulus est elicere regulam istā: O homo in quo alium iudicas, te ipsum condemnas. Errarunt igitur Apostoli sic opinantes: sed non omnes, quia Euangelista disertè dicit *quidam putabant.* qui igitur sic non putabant? certissimè saltē Ioannes hic enim à Domino per signū intincti panis Iudae dati, deprehēderat proditorem, an autem imple Petro revelauerit idē, intueno oculis in Iudam fortius vel aliter neq; negare audeo, neq; affirmare. Solū scio quod Petrus Ioannem rogauerit, vt is expiscaretur, & quod id Ioannes fecit, plus nescio, sed suspicor. vis scire quid suspicer? & aperuisse, & occultasse. Aperuisse oculis in Iudam postea saepe & aliter quam ante solebat intentis. occultasse, non expresse dicendo, quod nec ipse Dominus fecerat. Aliud occurrit non tacendum in opinione eorum qui *putabant.* putauerunt enim quidam quod locutus esset Iudae verbum, *vt emeret ea quae opus erant Collegio Christi ad diem festum.* Exculpamus ex hoc vtilem doctrinam de tempore Passionis Christi? quomodo vero id fiet? sic attendamus quando dixerit Dominus *Fac citius,* & quando audientes illud interpretati sunt quasi dixisset: *Ene necessaria ad diem festum.* Vtique continue Dominus dixit, & hi sic verba dicentis interpretati sunt. Bene habet, sed quale tunc tempus erat? iam iam sequetur in textu Ioannis: *nox erat,* & licet id non diceret Ioannes aliunde constaret; quia quando aduenerat Dominus vespera fuit, & hora facta discubuerat, & multa adhuc postea dixerat & egerat. ergo verè *nox erat.*

quæ vero noxæ pridie quam pateretur. ait S. Petrus in Canone Missæ, & v. S. Paulus describit 1. Cor. 11. In nocte qua tradebatur. Imo hoc pervulgatum est, sed quid inde colligi potest? Determinatio quæstionis, multum inter Chronologos, Historicos factos, Cyclistas, & Interpretes scripturarum, litigata. nimirum: *An Dominus noster Iesus comederit cum suis discipulis Pascha suam XIII. die mensis primi Iudaici, an eiusdem mensis die XI. v.?* causas prolixas litis hæc prætereo, rem disputatam ex discipulis Domini, qui tunc vivebant, do. Ipsi optime sciuerunt, quis esset dies mensis quando manducabant cum Christo, & tam mira videbant & audiebant, quid igitur illi determinant? Hoc fuisse diem XIII. mensis Iudaici, quando audiebant dici Iudæ: *Quod facis fac citius* Hoc determinant, quomodo hoc determinant? suspicando quod verba Domini dicta essent *ad hoc Iudæ, ut emeret qua opus erant illis ad diem festum.* Vis dicam quomodo ex illa suspitione discipulorum, licet male intelligentium verbum Christi, determinetur prædicta quæstio? Dico sic: 1. Leuit. 23. 5. extat præceptum de paschate Iudæorum tale: *Mense primo (is in Exodo dicitur esse verni temporis) quartadecima die mensis ad vesperam phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est, septem diebus Azyma comedetis, Dies primus vobis celeberrimus sanctusque, omne opus seruale non facietis in eo.* Hoc primum est. Alterum est, quod Iudæi à vespera ad vesperam debebant celebrare Sabbata sua, ut dicitur Leuit. 23. v. 32. Iam ostendo quomodo ex suspitione discipulorum eruatur quis fuerit dies mensis Iudaici? Die festo Iudæorum inchoante vel inchoato non licebat amplius ipsis emere, vendere, coquere, parare aliquid, ne quidem lugere, ut constat ex Scriptura, ergo quando Dominus Iudæ dicebat, *Quod facis fac citius*, nondum erat dies festus à vespera illa inchoatus, alias contra præceptum Legis iustus esset (secundum apprehensionem discipulorum audientium hoc verbum) parare necessaria ad festum diem in ipso festo solennissimo. Aliter, non parantur necessaria ad festum, saltem more Iudæorum, quando iam festum præsens est, quia parasæue apud Iudæos præcedit festum, ut ostendit discipulorum intellectus; cum Dominus Iudæ dicebat, *fac citius*, erat tempus quo poterant necessaria parari ad festum; ergo festum ipsum nondum præsens fuit in nocte illa, in qua hoc Dominus dixit. Pergamus ratiocinando: Si festum Iudaici paschæ nondum erat præsens in nocte quâ tradebatur Domini, ergo dies præcedens illam noctem traditionis fuit non XIII. mensis, sed XI. dies mensis primi Iudaici, quia XIII. die finiente ad vesperam inchoabatur, Dies festus, ut constat ex textibus Leuitici antea descriptis, qui in ista nocte nondum inchoatus erat, ut clarum est ex iudicio discipulorum, Vides iam Lector humanissime, quare in initio huius commentarii §. I. in expansa tabella dierum Mensis primi Iudaici

daici adscripserim XIII. diei mensis istius Feriam V. Hebdomadae sanctae &  
 ultimam cenam Domini XIII. vero diei eiusdem mensis, quo Iudaei im-  
 molabant agnum Typicum, à se comedendum, adscripserim Feriam VI. &  
 passionem Domini N. agni Dei, veri ac praefigurati. Si dixeris mihi: quo-  
 modo ergo Dominus cum discipulis suis comedit Pascha Iudaici agni,  
 pridie quam pateretur, siue in ultima cena, quando nondum erat secun-  
 dum Legem tempus comedendi pascha Iudaicum? quod debebat mun-  
 ducari XIV. die mensis primi ad vesperam, sequente statim XV. die, primo so-  
 lenni die Azymorum? Dico de hoc litigari inter antedictos Chronologos,  
 Cyclistas & Interpretes; Vna parte dicente quod vtraque vespera XIV. diei  
 & I. & 2. fuerit apta ad celebrandum Pascha Iudaicum; alia parte dicente,  
 quod Iudaei erronee illo anno celebrauerint Pascha suam & XIV. diem men-  
 sis in sexta feria, & quod debuissent agnum suum legalemm immolare in Fe-  
 ria V. Alia parte dicente, quod Dominus noster Iudaicum Pascha in ultima  
 sua cena non celebrauerit, cuius celebrati, nulla essent in Euangelio vesti-  
 gia: alijs aliter sentientibus. Ecce sic scinduntur litigantes, ego me illis me-  
 dium ingerere modo nolo, satis mihi est ostendisse partes ad quarum ali-  
 quam, qui litigare vollet, accedere possit, ego à lite hac me subduco perspi-  
 cua contentus veritate, & ad vtiliora me extendo. quid post illa verba Do-  
 mini ad Iudam dicta, & à discipulis audita, & aliter explicata, factum sit in  
 cenaculo: Pergit autem narrare S. Ioannis cap. 13. & ait: *Cum ergo accepisset ille  
 buccellam exiuit continuo. Erat autem nox.* vbi duo quaedam magis notanda mihi  
 occurrunt, nempe etiam cum buccella de ipsius Domini manu sumpta, pos-  
 se stare peccatum in maleuola anima, vt nemo miretur, si de Sacerdotis ma-  
 nu sumatur hostia, & sumens sit, maneatque peccator & multo magis si  
 de manu Praedican- tis non habentis Sacerdotalem potestatem traditione  
 traductam ex Apostolis. Alterum, quod Nox erat cum sic Iudas exiuit à dis-  
 cipulis & schola Domini seu Ecclesia Christi, accedens ad Synagogam Iu-  
 daicam; Vere enim nox erat dupliciter, vna naturalis, per Solis ab Horizon-  
 te Iudaico absentiam, & altera moralis per absentiam lucis seu gratiae à Iu-  
 dae anima, in quam paulo ante intrauerat Satan post buccellam à Christo  
 porrectam, *Cum ergo exisset, dixit Iesus. Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus  
 clarificatus est in eo.* quomodo hoc? multis modis. vno sic: haecenus obscure  
 fui cognitus, nunc clarius agnoscat à Iudaeis & toto mundo, quando qui-  
 dem mea nunc inchoatur passio, in qua clarificabuntur abscondita à saeculis,  
 etiam ipse Deus vnus Trinus. Intelligentur etiam ex nunc peccati abo-  
 minabilis sceditas, Dei maximum odium aduersus peccatum, mea sancti-  
 tas, Dei iustitia, humanae naturae sine gratia peruersitas, gratiae diuinae pote-

stas veteris Testamenti impletio, Noui per orbem promulgatio, &c. Si igi-  
tur sic, *Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & contra  
clarificabit eum.* Atque ita videmus factum & à tempore Apostolorum per  
totum orbem terrarum, & etiamnum fieri, quantum enim non clarificatur  
indies Christus contra Hæreticos scriptis, contra cæteros infideles armis.  
clarificatus est Christus per omnes hæreses quæ eum obscurare voluerunt.  
Quid effecerunt? Ecclesia Christi vicit, lumen accendit, & auxit. Sed quid  
Christus Dominus tunc amplius in cœnaculo, à S. Luca &c. Euangelistis  
præsentum, effecit, aut dixit? Id S. Ioannes copiosissime cap. 13. à 12. versu. &  
sequentibus capitulis, 14. 15. 16. 17. enarrauit in sermone illo prolixo Domi-  
ni habitu in cœnaculo, qui incipit *Filii* qui etiam peculiari eger commo-  
rario. Ego enim modo neque hic, neque in passione Domini secundum Io-  
annem prosequor, contentus hic inseruisse ex Ioanne, quæ decantant à nullo  
Euangelistarum alio enarrata, vt plena esset historia Domini cœnæ Passio,  
quo ad cœnam ultimam & gesta dictaque in ipsâ cœna, cum sciam in S. Io-  
annis Passione ista à me esse prætereunda, si, vt fieri solet, Passio Domini se-  
cundum Ioannem, ab Egressu Domini trans torrentem Cedron mihi sit  
more Ecclesiæ Romanæ inchoanda. Non mirabitur ergo Lector prolixita-  
tem huius §. 71. in quem plurima, licet breuissimo stilo, ex S. Ioanne inferre  
debui, vt filium historiæ in vltima cœna tam exactum ostenderem, quam  
dudum mihi desiderauit monstrari, nunc demum impetraui. Ex reuertor ad  
S. Lucæ historiam continuo commentario, quo ad Passionem Domini, il-  
lustrandam.

§. 72. *Et egressus ibat. v. 39.*

Egressurus ad venatum prius domi omnia adornat necessaria ad istum  
actum. Similiter iturus ad bellum contra potentem hostem prius in Consi-  
torio suorum Tribunorum & Centurionum consilium & intentionem  
suam proponit, vt fecit Nabuchodonosor Iudith. 1. capite. deinde aut ipse,  
aut per substitutum sibi Generalem procedit in campum. Et si quidem hic  
valde arduum bellum, aut Generalem exercitus opportunum non habeat,  
cui possit fidere, ipsemet potius Imperator belli fururus procedit. Atque ita  
factum est in præsentî negotio. Non erat in vniuerso mundo qui in bello  
aduersus Satanae potestatem, aduersus infernum, & mortem tam corpora-  
lem quam spiritualem, aduersus peccatû, Humanæ naturæ corruptelam ad-  
uersus iram omnipotentis Dei, vt pote offensi, posset dimicare, nisi vnus hic  
Iesus Christus. habens apud se copulas paruas, nempe XI. Tribunos desig-  
natos à se iam enim ante horam duodecimam etiam designatus ad hostes  
transfugerat, & isti XI. satis erant ambiguae fidei, excepto vno Petro, cuius  
Fides

fides interior erat satis stabilis, sed foriserat valde in conflictu dissimulaturus, qua cum parte teneret; certe negaturus, se esse ex parte sui Imperatoris.

**M**iserabilis erat ista, Domine Iesu, tua egressio si spectemus populum qui egrediebatur tecum, iste enim est baculus arundineus, super quem si incubuerit homo, concideret; quia deseret, fugiet, imo abnegabit te holte aggrediente. Si autem tu ipse specteris, est admirabiliter animosa & fortis & magnanima egressio tua, quia tu sciebas, qualis esset exercitus tuus, quam infidus futurus, & tamen tu cum eo egredieris in bellum tale, quale non fuit à sæculis, nec postea erit amplius, utpote, in quo prosternerentur omnes inferni potestates, & omnis caro, & totus mundus. Deus meus est tu, qui sic egredieris; Deus meus in æternum.

§. 73. *Ibat secundum consuetudinem. v. 39.*

Vnde quoniam ibat Dominus? ex cœnaculo in plateas urbis; ex his ad urbis exitum seu portam urbis, ex porta Hierusalem ad torrente Cedron, qui fluebat per vallē inter Hierosolymā & montem Oliuarū, à torrente in montem istam. Quomodo verò ibat? *secundum consuetudinem*: quid est secundum consuetudinem ire? Vtique ire sed non ire primum, vel non ire primā vice, sed vel more constituto ab alijs ire, vel more à semetipso constituto ire, & tamen non ex aliquo statuto vel lege ire.

**Q**uid facis Domine Iesu? *istu secundum consuetudinem*? Igno vero, Ego secundum consuetudinem eo (ais, per Euangelistam tuum ita scribentem) an igitur ignoras quid sit consuetudo? Imo vero scio, dises. Est enim consuetudo *tus quod moribus seu usu constitutum est*. Sed ex quorum moribus siue vsu? publica consuetudo, populi vsu; priuata consuetudo, vnius vel paucorum vsu inductus modus est. Ergone, Iesu, incedis alio modo quam scriptum est? qui dixeras antea in cœna: *Filius hominis vadit sicut scriptum est*. Imò, vado *vsu scriptum est*, sed non solum: quia etiam *secundum consuetudinē* vado Domine, video quod neque Lutheranus sis tu, neque Calvinista. Hi vadunt vel potius dicunt solum eundē esse solum *sicut scriptum est*. Tu autē vadis *sicut scriptū est*, & etiam *secundū consuetudinē*, in hoc facis uti Papistæ qui & vadunt sicuti tu & dicunt esse eundem: Gratias ago tibi Domine Iesu, quod vadens in bellum contra Infernum & mundum in ipsa via etiam hereticos proffigas. Qui sunt isti hæretici? qui solum partem fidei tenent, aliam negant. Pars fidei est, *ire sicut scriptum est*, & pars fidei

**K**

**est**



est ire secundum consuetudinem: primam partem elegit hæresis nostri temporis: alteram reiecit. Catholicus utramque tenuit. Christus pro Catholicis sententiam dedit; tuit, sicut scriptum est, & ius fisci consuetudo est. Laus tibi Domine, Iudex futuri sæculi

§. 74. In montem Oliuarum. v. 39.

Ad radicem scilicet montis istius, qui ab oleis nomen habebat. An igitur in eo solummodo erant oleæ? Non credo, nam & ficus & palmas fuisse alibi lego. Itaque à priori fructu nomen monti obuenit. Sed quomodo nocte potuit Dominus exire ex vrbe in montem? An portas eius non clauderentur noctu? an hospitium Domini dicemus fuisse in suburbio? per me utrumlibet sentire licet. Ego Dominum exisse credo, audiens testes, qui cum eo exierunt. Hoc mihi de re antiqua satis est, etsi omnium antiquorum rationes dare sophistæ non possim. Amplector humiliter legem Iuris: *Non omnium*. Iterum quæro, cur Dominus à cœna vadit in montem? talem consuetudinem non habent filij hominum, hi à cœnis surgentes aut eunt grassatum & per plateas excitant clamores, & pars tenet citharam, pars cum inanimatis saxis pugnat: qui hoc non agunt, taxillos & tesseras, & chartas pictas pertractant. Qui nec hoc agunt, ad saltantium & luxuriantium aulas se conferunt, & denique modestissimi ad lectulos, & plumbeos montes: Dominus autem Iesus ad montem Oliuarum.

**D**omine valde discrepat in hoc consuetudo tua à consuetudine aliorum: aut igitur tu solus plus sapias cæteris, aut ipsi plus te sapiunt: posterius fieri non potest, prius igitur utique verum erit. Et ita est; tu enim es Sapientia ipsamet Omnipotentis: nos autem erronei, filij hominum, diligentes vanitatem, & quærentes mendacium, parce nobis.

§. 75. Secuti sunt autem illum & discipuli. v. 39.

Utinam potius comitati fuissent, quam secuti: in hoc enim agnosco aliquam agrimoniam, aliquam deficientiam, in altero vigorem & promptam voluntatem: sed quantum in discipulis & me video imperfectionis, tantum in Domino video virtutis. Ecce præcedit, præcurrit, exultat viggas ad currendam viam. Vix illum discipuli vel à longe sequuntur, ægredientes pedem, quorum mens non erat penitus expedita. Ego tamen hoc eis non exprobro, quia scio, me minus facturum fuisse, si adtuisset, imo murmuraturum fuisse hoc vel simili modo. Quid hoc est? Pascha imminet & nox est, & fatigati sumus per diem itinere, & modo longo sermone penè obtuti. Nihilne igitur quietis, quæ etiam datur iumentis? Talia indubie ego peccator obmurmurarem, & Apostoli patienter sequuntur.

O App

O Apostoli & Prælati gregis Domini, etsi ego minimus, interdum confidero defectus quosdam in vobis, cum vos Christo Domino Comparo; tamen multo plures & graviores inuenio in me, si velim iusto oculo me vobiscum comparare. Non extendam igitur aliter linguam meam contra vos, quam ut Deo postpositos mihi longe anteferam, & toto corde amem.

§. 76. Et cum peruenissent ad locum. v. 40.

Videlicet Locum, orationi suorum discipulorum destinatum in Monte, vnum ex multis locis montis huius, vbi octo discipulorum volebat disponere, ad excubias seu vigilias sacras secum peragendas. Ibi dixit & fecit Dominus, quæ mox dicentur.

Sive locus, imo saluete multa loca, à S. Luca in vno loco subindicata: multis locis peccatum est, ideo & peccata in multis locis expiantur. Peccatum est in hortis, peccatum in villis, peccatum in montibus, peccatum in noctibus, peccatum in diebus. Ecce in omnibus his plenam adhibet medicinam.

§. 77. Dixit illis orate, ne intretis in tentationem. v. 40.

Iam Dominus discipulos suos in duas turmas distinxerat, vna dignitate minor octo personas, altera excellentior, tres obtinuerat, nempe Petrum, Iacobum & Ioannem; singulis etiam sua mandata dante: priori dixerat, pauca nimirum: *Sedete hic, donec vadam illuc & orem*, vti refert Matthæus. Alteri autem plura, secretioraq; communicauit, nempe contristationem, tristitiam, pauorem ac tædium suum, dicendo: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Vti referunt Matthæus & Marcus: atque interim progrediendo cum illis ac consistendo peruenerat ad locum destinatum, vbi illos tres viros amicissimos & Cardinales, Pontifex noster Iesus Christus, iussit subsistere, dicens: *Orate, ne intretis in tentationem*. Quasi diceret: Cæteris dixi sedete hic donec vadam & orem, minoribus minora imponens: Vobis maioribus dico plus: *Orate*. Quid autem? ut nihil mali vobis eueniat? nequaquam multa mala bona sunt: Quid igitur? ut quicquid bonum est, impetretis? ne hoc, quia multa bona reuera mala sunt homini: Quid igitur? septem orationes alias traditas, cum docuit Dominus orare suos, sic: Pater noster &c. Ne hoc totum nunc dicit Dominus, sed partem eius, illam scilicet, quæ huic tempori maximè quadrat. Quæ autem est ista? *Ut non intrent in tentationem*; Hæc enim proxima erat tunc, cum hoc suadebat Dominus: & ista tentatio erat magni momenti, terribilis & amara valde, significata per exhibitionem diabolicam.

KA

Benig;

**B**enignissime Iesu cur non dicis: vt orent tui discipuli à patre cœlesti, ne eos inducat in tentationem? Sed jubes orare; vt ipsi non intrent in eam? An id, quod olim docuisti per verbum, non inducendi hic magis perspicue doces verbo non intrandi? Ita sane credo: sed & vna doces me, Domine, orationes, siue aspirationes, jaculares, quæ sunt breuis aspiratio in Deum, per particulas magnarum orationum. Gratias ago tibi Domine pro explanatione Et pro doctiōe orationum jacularium, quando vel indispositio, vel occupatio, vel infirmitas non patitur orationes prolixas.

§. 78. *Et ipse avulsus est ab eis, quantum iactus lapidis. v. 41.*

Postquam secundam militiæ suæ stationem Imperator noster Christus adornauerat, & mandatis suis instruxerat, quid orarent, ne tentationi succumberent aduersario cibraturo ipsos. Etiam, vti addit S. Mathæus & Marcus, indixerat, vt sustinerent ibi, & vigilarent secum: ipse in tertium horri locum processit vterius, nimirum ad lapidis iactum. Sed quid est hoc, quod Dominus dicitur avulsus esse ab illis, nempe à discipulis suis, & quare avulso ipsa Domini mensuratur, vel ponderatur iactu lapidis? queramus, si forte inueniamus, pulsemus, si forte aperiatur nobis: bonum est hoc nobis, si Domino docente discamus; Quid autem docet Dominus? se avulsam esse à suis Quomodo avulsus? quia conglutinator erat cum eis non glutino artis humanæ, sed caritatis diuinæ. Sed quid avulsum eum? ita conglutinatum? eadem quæ agglutinauerat caritas, etiam avulsum. Mira res, vt vniat eadem res homines & diuellat. Noli mirari, gluten hoc quod arte humana fabricatur, si liquatum applicas, vnit: si siccas tumpit: Hoc facit & caritas: sed quantum abrumpit? vel quantum avulsus est Dominus à discipulis suis? certe non procul, qui adeo conglutinator erat; & hoc indicat mensura avulsioni adhibita, nempe quantum est lapidis iactus. Quantum autem est lapidis iactus? certe non magnum spatium facit quia natua gravitate se procul ferri vetat etiam si connitaris procul iactare.

**D**omine Deus Salutaris meus, Agnosco in te caritatem maiorem, quam omnes illi, qui à se discedunt amici, ostendere soleant. Horum enim aliquis sponte recedit, et si alij id ægrè ferant. Tu autem discedens ægerrimè recedis, & ideo diceris *Auelli*, & ita auelleris, sicuti lapis proiectus motu violento ferri solet. Utinam ego quoque, vel nos homines tibi sic adhaerere creemus, sicuti tu nobis adhaeres caritate.

§. 79. *Et postis genibus orabat. v. 41.*

Jam Dominus noster relictis, vt dictum est, suis hominibus, solus est. Soli

Soli jam Angeli cum eo sunt, & Pater suus, videamus, quomodo cum eis agat. Ecce *oravit*. Quid est hoc: multum est orare, maxime, si uti Christus oravit, intelligatur. Evangelistæ dicunt clarè satis, ut possit nobis illa oratio perfectissimum orandi exemplar esse, in quo omnes, possibiles creaturæ, conditiones orationis bonæ sunt expressæ. Erat enim feruens perseverans, humilis, de optimis rebus &c. *Humilis* quia positus genibus: *attenta*, quia solus erat; *feruens*, quia in agoniam redactus est orans; *Perseverans*, quia prolixius oravit, quoad Angelus de cælo confortans apparuit. Adhuc distinctius cupio intelligere orationem istam: Et iterum attendo ad Evangelistas. Quid hi dicunt plurima distinctius adhuc dicunt. Nimirum I. *positis genibus* super terram orasse Dominum, ait. Lucas v. 41. II. *Procidisse in faciem suam orando*, Matthæus addit. III. etiam inter orandum ex vno loco in alterum prorepisse Dominum insinuant. Certe ex vno loco orationis in alium, nempe ad discipulos, ab his ad locum aliū processit. IV. Titulos eius, quem orabat multiplicavit, dicendo, modo *Pater mi*, *Abba*, *Pater* &c. V. diversas etiam linguas adhibuit, uti Marcus insinuat. *Abba Pater*. VI. Eundem sermonem sapius repetiuit, Teste Marco. VII. Confortantem Angelum admisit. VIII. in Agoniam descendit. IX. in eadem prolixius oravit. X. Sudavit & quidem sanguinem. XI. Vestimentum suum tinxit rubore, mutavit colores. XII. guttæ sanguinis eius decurrerunt in terram. Ista dicunt perspicuè Evangelistæ: & ostendunt tam se, quam Dominum Iesum bene, Catholicos, seu Papisticos fuisse. Ecce enim. I. Catholici orantes cum Christo, *Ponunt genua super terram*. Raro, vel nunquam hoc vides apud prædicantes, maxime si sint Reformati. Quidam enim ei hominum generi, aliquot annis conuixerunt, & ne semel quidem eorum aliquem *positis genibus orasse* deprehenderunt. Apud Catholicos, quot non genuflexiones in regulis diuini officij præcipiuntur! & populus sponte, Sacerdotes & Clerum imitatur in templis, in plateis! 2. etiam apud Catholicos prociidunt in faciem suam Sacerdotes, maxime Sabbatho sancto sub officio diuino; idem in ordinationibus fit, & alias, & populus Catholicus imitatur toto anno, domi, in templis hunc morem. Videbis si attendas Monachos transeuntes altaria, sanctissimo Domini corpore occupata, terram osculari facie prorsus demissa. Ista vero apud Reformatores sunt & habentur ludicra, mimica & insana. 3. Apud Catholicos etiam inter orandum proceditur de loco in locum. Nam Sacerdos ad altare modo ad ipsum & librum, conuersus est; modo ad populum, modo in cornu dextro, modo sinistro cornu altaris versatur, modo in eius medio. Apud hos solidos imitatores Christi, & prædicæ Evangelicos, sicut processiones, accessus & recessus, atque

orationes. Quid huiusmodi Christianis ritus apud Nominales Evangelicos  
 seu Reformatos reperies? Nihil nomine Christiani sunt, non opere & ve-  
 ritate. 4. Titulos eius, quem Catholici orant, multiplicant; dicentes divina  
 officia, Kyrieleyson, Christeeleyson Kyrieleyson. Vide Litaniarum &  
 Sacrorum rituum contextum. Quid huic Domini instituto simile habet  
 reformatus in orando? nam de concionando, modo non est sermo; rideo  
 reformatus Litanias; damnat liturgias, idololatriæ æquiparat; sed interim  
 quomodo Christus sapit, non sapit. 5. Catholici etiam peregrinas lin-  
 guas adhibent in diuinis officiis, maxime in cruce Domini: sanctificatas,  
 Hebraeam, Græcam, Latinam. Non sic pseudo-Euangelici & Reformati,  
 nefas est apud hos vti lingua, quam non quilibet de plebe calleat. Mitæ ta-  
 men in hoc sunt inconstantes, ad Græcos & Hebræos textus appellitant  
 apud plebeculam maxime si Catholicum nati sint, quæ eas linguas se ca-  
 lere non profiteatur. Si vero talium gnarum reperiant, tunc subterfugere,  
 tunc non nisi vulgari, omnibus nota loqui &c. O vulpecula! 6. Catho-  
 ci, eundem sermonem, orantes, sæpius repetunt; dicentes, Kyrieleyson scilicet  
 initio liturgiæ seu missæ, & Christeeleyson ter, & Dominus nobiscum sæpe &c.  
 Et in rosario reperunt Pater noster sæpe, &c. Ave Maria gratia plena &c. sæpe.  
 Hunc repetendi eundem sermonem in orando rideo Pseudo-Euangelic-  
 us ac Reformatus, nulloque suspendit adunco, quasi Catholici Deum gra-  
 uiter audientem faciant repetendo. Non sic patrem suum irrisit Christus  
 repetendo eundem sermonem. Hunc humiliter orans imitatur, qui est Cat-  
 holicus: Reformatus videt, cuius sit imitator: Certè in hoc non est Chri-  
 sti 7. Confortantem Angelum, imo Angelos confortantes, & auxiliares  
 multos admittunt Catholici, etiam in oratione sua, vbi dicit Sacerdos:  
*Supplices Te rogamus, Omnipotens Deus, iube Hac perferrî per manus S. Angellorum  
 in sublime altare tuum, in conspectu tue diuinae maiestatis &c. ibi populus ait, Angeli  
 Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, dirige & custodi.* Apud  
 Pseudo-Euangelicos & Reformatos quid fit? excommunicant eos, qui  
 cum SS. Angelis conuersantur, vel eos alloquuntur. Nam ita in formula  
 cœnæ suæ Amsteldani An. 1613. & alias cula præcipiunt Prædicantes. Sed  
 quid mirum Angelos ab eis excommunicari? cum in eadem formula ex-  
 communicent, ipsum Angelorum Dominum Iesum, eo quod benedixerit  
 panem: Verba excommunicationis ipsorum præsto sunt: *Daerom Wy  
 oock alle die hen met dese nauolgende lasteren besmet vveten; vermanen  
 van de Tafel des Heeren haer te onthouden, ende verkundigen hen, dat  
 se ghen deel int Ricke Christi hebben; als do sint alle Afgoden dienaren*

alle dee verstoruen Heyligen, Engelen, oft andere Creaturen anropen &c. die vee ofte menschen mitsgaders ander dingen legenen, ende die solcke legeninge gelouen geuen. Quid his formulis magis insanum poterant excogitari pseudo-Christiani! Sed misse his eamus ad Dominum, qui ista videt, & tolerat ad tempus.

**O**lesu da mihi tecum & eum Catholicis semper ornandi formulam tenere, nunquam ad profanos aliorum ritus deslectere. Seductores sunt qui aliter, quam tu & Ecclesia tua docere audent.

§. 80. *Dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. v. 42.*

Titulus, Pater & mater, mirè afficit eos, quibus tribuitur, ita ut Christum Dominum putent quidam in cruce eo titulo abstinuisse, cum compelleret matrem suam, orat autem hic filius optimus sapientissimusque patrem æque optimam sapientissimumque, ea quæ ipsi optime, nos ægre intelligimus. Nam calix nullus in horto apparebat, & tamen calicem transferri orabat.

**D**omine Iesu, qui sic loquebaris, tecum loquor doce me obsecro. Quis est iste calix: an imminens passio? sed quomodo cogitabo, quod ores transferri à te passionem, qui volentem dissuadere passionem tibi vocabas satanam, & iubebas abire à culpe tu tuo. An igitur Sanguinem tuum vocas calicem, quomodo ironicè ludæis, & tu serio vocasse corpus tuum patens? & sic oras transferri seu separari sanguinem tuum per mortem à corpore tuo? si iste sit sensus tuus, certe pius, certe ingeniosus est sermo tuus, an forte calix iste, quem transferri oras, est si uetus tuæ passionis, in calicis oblatione indies renovandus? Sanctus etiam est sensus iste. Quisquis autem fuerit, ego tibi Domine piissimas gratias ago pro oratione ista, tibi clarissima, mihi obscura.

§. 81. *Verum amen non mea sed tua voluntas fiat. v. 42.*

Quis fuerit sensus verborum quibus à se transferri calicem Domini oravit, jam diuinavi. Communior Patrum sententia est Christum Dominum hoc tanquam verum hominem angustiatum & secundum inferiorem portionem pro infirmitate humanæ naturæ ab eo susceptæ, mortem exhorruisse, & mori reculasse; Ardentem tamen ejus erga Deum & homines amorem (illis ut satisfacerent, nos ut redimeret) vim naturales affectionis superando, mira fortitudine devicisse. Atque ideo obvia subiurxisse in lucta ista: *Verum amen non mea, sed tua voluntas fiat.* Sane & facilis captus vulgi explicatio, etsi altera quam dedi ac tertia sit subtilior atque studioribus convenientior. Secundum quas, ita præsentia verba acci-  
piamus

piemus, ac si dixisset, juxta secundam explicationem, peto ex amore patris & humani generis dissolui & esse anathema; sanguinem meum fundere, & corpore meo exsugere, nihilominus ita affectus ipsum, ut hoc ipsum fieri vel non fieri in arbitrio patris deponam. Frustrum etiam, qui depositionem corporis mei, & sanguinis effusionem se qui potest, etiam si ego eum velim latissime parere & propagari, tamen in manu & dispensatione patris mei, uti me ipsum, relinquo.

**O** Admirabilem resignationem! verè insolita apud nos ista fuit reverentia patris. Ego istam considerans pudore suffundor & dolore pudore quia mei iudicii & propriae voluntatis ita sum tenax; dolore, quod pro me tam parum ago, & video tantum pro me laborare Filium Dei, Dominum meum.

§. 82. Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum. v. 43.

Quando nam hic Angelus Domino apparuerit, Lucas non expectavit, utpote qui omnes horum orationes in unam massam convolvit. In spiritibus ergo ceteros, si forte ex eis ordo aliquis elucescat. Elucescit autem hic quod Lucas ultimam orandi vicem potissimum expresserit, uti Mattheus & Marcus primam & secundam vicem orantis. Conferat istas qui volent, & inveniet. Sed quomodo Angelus confortabat creatorem suum? mira res, puerum confortare robustum parentem suum!

**S**ed agnosce, o homo, in Domino, duplicem naturam, divinam & humanam in una persona. Quod secundum divinam non poterat Angelus, poterat secundam humanam spectans, si volebat, qui infirmitates nostras assumpsit, & solatia non est abominatus nostra, passus est, refectus est, portatus est ab hominibus, imo a daemonio translatus, quidni ab Angelo bono acciperet solatiū, à quo & ministerium, nullius egens humaniter accipit. Non sicut superbi, Hi à nullo si possent, vellent opem praestolari, ne cogantur agnoscere beneficentiam alienam, qui volunt stabilire suam gloriam.

§. 83. Et factus in agonia v. 43.

Agon est angor eorum qui in certamen descendunt, uti docent A. & Græci ac Latini, qui angor cum in quibusdam futuri æque ac suæ fortunæ in scisci, magnopere autem se suaque reputantibus solet esse exanimatus, plerumque Agonia pro ea anxietate accipitur, quæ est ad mortem, & animi consternationem atque deliquium, cum igitur Dominus noster in Agonia

gonia factus legitur; illud utique dicitur, quod in angore tali fuerit, qui si in homine, quales nos sumus positus fuisset, animi deliquia & defectiones sustinisset. Sed quæ, oro, poterat esse causa tanti angoris? jam supra relatum est, transitum horæ, & translationem calicis, idest passionis, mortis, & fructus ex his obventuri, dispensationem, in quibus omnibus multa terribilia erant inclusa; nimirum emendatio corruptissimi generis Humani; sanctificatio eiusdem, & consummatio ad vitam æternam.

Jesus solatium afflictorum, & pusillanimum fortitudo, per illum tuum spontaneum, in horto horrorem, assumptamque pro nobis luctam, Te supplices exoramus, ut eorum, qui corpus occidunt, metu proposito omnem peccati accessum formidemus, in ultima agonia tecum victoriam habeamus, venturumque te iudicem securi videamus.

§ 84. *Prolixius orabat. v. 43.*

Raptus in Deum, quodammodo extra se positus in oratione, ad patrem loquebatur, non tam ut liberaretur ipsemet, quam ne quid paterentur damni discipuli abeunte se, ne scandalizati obdurescerent; ne Petrus negaturus impenitens maneret; ut calix passionis fidei vobis suis prodesset, præteritorum veniam peccatorum obtinerent, præsentium emendationem, cautelam futurorum, manens in oratione Salvator noster, ut verus pontifex, oneratus totius mundi peccatis, ante thronum paternæ gloriæ & profunda cum Humilitate, patrisque reverentia & lachrymis, sæpè alias benignissimus Iesus, uti advocatus noster, pro nobis oraverat, semper exauditus erat. Nunc rogans ad horam non auditur à Patre, quia *is sic dixit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Ela Domine tribue mihi indies perseverare tecum in oratione, quò in vera pace spiritus omnem adversitatem transire sinam, & quam diligentissime ad influxum tuæ divinæ gratiæ recipiendum me præparem. Infunde mihi orationem tibi gratam, qua muniar, ne ulla tentatione vincar, sed per triumphum victoriæ omnes inimicos meos despiciam.

§ 85. *Et factus est sudor eius sicut gutta Sanguinis eius decurrentis in terram. v. 44.*

Describit Evangelista, quid ex hac Agonia secutum fuerit in Christo, nempe sudor ubertim fluens è corpore, non communis aquæ similis, sed mixtum sanguine, & in tanta copia, ut non hæreret in benedicta facie vel Corpore, sed deflueret in terram, ut eam madefaceret. Magna sane hæc angustia Christi fuit, quæ tantum excuteret è corpore, tamque copiosum sanguine mixtum sudorem! dices mihi: unde in Christo, qui peccatum

L

non



non fecit, enasci potuit tale certamen. Causam jam §. 84. & supra dixi.

**A**ccede nunc O anima mea, & quale hic coram te positum compassi-  
onis incentivum sit, attentissime considera. Redemptorem tuum,  
Regem cœlorum, orantem, paventem, agonizantem, sanguinem sudan-  
tem, mentis oculo contemplare, non tamen sine profluvio tuarum lacry-  
marum. Quomodo enim, O anima, lacrymas continere valebis, aspiciens  
piissimi Domini tui guttas sanguinis decurrentes in terram! Cerne dili-  
genter Ielum, totius suavitatis fontem, pallentem facie, genibus flexum,  
tremantem corpore, corde vero mœrore transfixum, vultu, sudore san-  
guineo tinctum, & juxta eundem Angelum confortantem, ei compati.  
Hic tu gemere, flere, ululare, ne cesses.

§. 86. *Et cum surrexisset ab oratione. v. 45.*

Consolatus à patre, confortatus ab Angelo, secundum humanam  
dico, naturam, resignatus omnimode ad voluntatem patris æterni, para-  
tus ad omnia quæ superventura erant, lubenter volens suscipere quic-  
quid tristitiæ, quidlibet tribulationum, & angustiarum, verbera cami-  
ficum, alapas, flagella, spineam Coronam, Crucis duræ & magnæ baji-  
lationem, suspensionemque, in eadem per clavos obtusos affixionem ul-  
que ad ultimam sanguinis sui effusionem procedendo, pro redimendo  
populo suo, gravissime peccatis oppresso, surrexit ab oratione, & in testi-  
monium talis orationis reliquit benedictissimorum genuum suorum ve-  
stigia in lapide quasi incisa usque in hodiernum diem, madente etiam terra  
sanguineo sudore, & fortasse adhuc dum desistente.

**O** Beatum hortulum his guttulis irrigatum, beatiorum illo voluptatis  
Horto, qui fonte quadifido dicitur irrigari. Gen. 2. O si ibidem fuisset  
ut de fonte illo, vel rivulo bibere vel gustare potuiffem, in perpetuum sal-  
va & sana mansisset anima mea. O quis mihi dabit bibere de fonte illo  
Gethsemani nisi tu Christe Deus meus. Tu ipsum corpus & sanguinem sub  
specie panis & vini consecrati in ultima tua cum discipulis cœna porrecta,  
in remissionem peccatorum omnibus hodie dum proponis. Bibar ergo ex  
eo corpus meum gratia tua annuente, bibar anima mea devotè & reuerentè  
in remissionem peccaminum, vt non recorderis amplius contemptus illius  
& iniuriæ, quam tibi irrogavi, sed sint omnia in tuo sanguine diluta,  
& perpetuæ obliuioni, propter nomen tuum,  
tradita. Amen.

Petrum scilicet & duos filios Zebedæi, quibus in monte Thabor claritatem suæ majestatis ostenderat, & quos præ cæteris diligebat, nuntiatum, quod ei in oratione acciderit, qualiter Angelus Domini ei apparuerit, fidelissimus Christi ministrator, à patre cælesti missus, ipsum contolatus sit, confortaverit, ostendens passionem suam genus humanum esse redimendum, enixè insuper rogans, ut ille maturaret, nec differret diutius, forte enim ut ipsa Angelorum quoque ruinæ implerentur, & suum se consensum addidisse, patrique voluntati se submisisse. Talia inquam communicaturus venit, modo ipsi non dormirent & incapaces forent.

Gratias ago tibi ex toto corde meo, bonitas effusissima, abyssus infinitæ misericordiæ, qui tam indigentibus servis tuis omne bonum ex te ipso confere, qui tam indigno peccatori, fructum passionis & mortis tuæ cum Corpore & Sanguine tuo sanctissimo, tam amanter applicare voluisti, gratias ago, de tanto & tam singulari beneficio. Gratias ago pro charitate illa inestimabili, qua id mihi contulisti, & precor eandem bonitatem tuam, ut tua in me dona, augeas ad gloriam tuam, & conserves, ut in me nihil deinceps tibi displiceat, sed quæ ad honorem tuum sunt, & proximorum salutem, ea strenuè, & ex puro, ferventique amore tuo operari possim, tantaque sollicitudine ac vigilantia reliquo toto vitæ meæ tempore in tuis occuper obsequiis, quanta me hætenus in sequendis & amplectendis mundi hujus vanitatibus occupavi.

Vere tunc impleri cœpit verbum Prophetæ: *Torcular calcavi solus &c.* & notatu dignum est, carpi dormientes non à crapula, quæ à cœna Christi parca, nulla erat, sed à tristitia, & à quadam necessitate, nox enim jam erat, & quidem profunda. Quid dicturus fuisset, si eos invenisset, *vino somnoque sepultos*, quid dicturus in die judicii, qui Ecclesiæ nocturnis horis præsentem dormitamus mero hesterno graves, & cæteris fidelibus in templo alacriter, ac vi tota canentibus, ronchos ducimus!

O Amantissime Iesu, ut operibus tuis, quæ perfectissima sunt, aliquantulum insistere queam, concede, obsecro, ut amor proximi in omnibus apud me prævaleat, ita ut salute in eius omnibus meis temporalibus antepōnam semper negotiis, tuo edoctus exemplo, qui ut Apostolos tuos commoneret, ut vigilarent & sibi prospicerent in proximè hoc imminente periculo, eos adisti, relicta Angeli & tui patris consolatione; ita oro,

sicut pro me ita pro omnibus, Regibus, principibus Christianis, & superioribus quibuscunque, imprimis Ecclesiasticis, sacerdotibus, Prælati & Clericis, ut digneris eos ita excitare, ut nunquam patiantur, ita se somno obtui in tempore orationis, ut tui obliviscantur, sed semper vigilent cunctis in operibus mandatorum tuorum, ad proximi salutem, & laudem, & gloriam tui majorem.

§. 89. Et ait illis: *Quid dormitis? v. 46.*

O Admirabilis hic Christi mansuetudo, verè Christus Rex est similis Regi Apum, sine aculeo, verè Agnus, verè mitis & humilis corde: Ecce enim quam blande castigat discipulos dormientes & præmonitos, ne dormirent, sed te cum orarent & expectarent vigilantes Adventum proditoris. Nam reversus ab oratione, dicit tantum ad eos, quid dormitis? Ego hic somni nomine omnem voluptatem Corporis possum intelligere, quæ ad mollem enim somno sternitur Corpus, anima sopitur, usus rationis supprimitur, ita & illecebræ voluptatum eadem nobis damna inferunt, & tanto maiora, quanto peior est animæ mors æterna, quam brevis imago mortis Corporeæ. Quare hortatur Apostolus, *Nos de somno surgere, & sicut in die honestè ambulare, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitia torpere.* Medium autem ad temperantiam proposuit orationem. Unde & aptè dixit quod sequitur; *Surgite, orate, ne intretis in tentationem,* quippe cum nemo possit esse continens, nisi Deus det, & cum animus voluptatis cupidibus, non aliter & melius possit à noxia voluptate avocari, quam si alia nobilior voluptas ei proponatur, & caro infirma tum robur acquirat, cum spiritus ratione roboretur, bene, imo optimè, id per resurrectionem ad nobiliora exercitia & orationem confici censemus.

**D**omine Deus meus, scio diabolus circuire & quærere, ut me devorare possit, capere, decipere; quid imbecillis homuncio faciam? nisi tu auxilio tuo mihi succurreris & excitaveris dormitantem! Videor namque semper dormire in omnibus actionibus meis: Tu igitur adjutor esto, Tu auxilium; Tu robur, antequam incautus capiar ab eo, antequam liger vinculis peccatorum; antequam me penitus abducat, ut sopitus abnegem Te, prodam Te, peccata peccatis addendo, sed semper tecum vigilans superem me, amem te, sequar te, sine ulla mentis vel corporis contradictione.

§. 90. *Surgite. v. 46.*

Cum discipulis pergentibus nihilominus dormire modico tempore adstitisset, Dominus, quasi pastor excubans super gregem suum, adverte-  
retque

terque jam adesse milites Iudæ, ait & inclamat contentiore sono quasi terrens, *Surgite*: State viri fortes & succincti, armati, parati, in prælium, i. e. adventantium hostium insidiis subvertamini, & succumbatis. En locus insidiarum plenus, hic campus exercendæ virtutis, non tempus hic dormiendi, sed vigilandi, non jacendi, sed standi, non oriandi, sed dimicandi.

**D**omine dixisti, nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, imiter ergo te, & cursu contendente, & in palæstra horti colluctantem, & in agone decertantem ut strenus pugil, ipse habeam animæ oculum nusquam evariantem, sed attentum ac pervigilem, nimirum ut animo sim, non supino, non concidente, sed erecto, non dormituriante. Sed pervigili ac sobrio, quique multa cum vigilantia præfens sit, & noxæ, sibi præesse.

§. 91. *Orate, ne intretis in tentationem. v. 46.*

Sed quomodo pugnandum & standum? devotis verbis cordis & oris, orate, non verbis tantum preces effundentes, sed mecum actiones conjungentes, ut vita vestra non sit aliud quam continua quædam oratio; Sic non intrabitis in tentationem per passum peccati, de cogitatione in delectationem, de delectatione consensum, de consensu in opus: *Stare* ergo eos jubet & *orare*, ne scilicet vigilantes sint in otio, quod est pulvinar diaboli & non oriando solide tamen occupentur in rebus quæ sunt ad Deum.

**O** bone Iesu si adeo fragiles erant discipuli à te instructi & moniti, & tam vicini corporaliter! Quid de me præsumam? Tu scis infirmitatem meam: da ut & ego agnoscam, & humiliter de viribus meis diffidens in tua firmitate confidam; occasionem male agendi divitem, & jugiter ad orationem tuo exemplo recurrant.

§. 92. *Adhuc eo loquente, Ecce turba, & qui vocabatur Iudas. v. 47.*

Vides jam quare mandaverit discipulis dormientibus, ut surgerent & excubarent, ac si diceret; *prospicite* si ne appropinquantem discipulum cum ingenti satellitio, ut me tradat in manus peccatorum? Hic observa Christiane, quomodo Christus ab Angelo nuper confortatus, non modo constantissime loquatur, sed & promptissimo animo stet, hostiles manus expectans. Tantum enim abest ut instar meticulosi hominis vel trepidaverit, vel aufugerit, ut etiam inimicis obviam processerit. Tantum animi robur ab oratione & Angelica consolatione

sumplerat aduersus passionis procellam, vt nullum vel pauoris, vel tædij signum amplius ostenderet. Contra, discipuli quoniam non orauerant, nec consolatione erant recreati, videmus eos factos animo imbecilles, & vnicunque eos stimulauerit Dominus secum obuiam ire, factis declarate, mortis horrorem in ipsis creuisse.

**O** Miseri mortales, qui orationem a deo commendatam Deo, & laudatam negligitis, in quanta pericula, vos conijcitis? videte hos discipulos. Videte contra, Christum Dominum, in oratione prolixum, agilem, & confortatum.

§. 93. *Vnus de duodecim antecedebat eos. v. 47.*

Inter turbas Christi Domini hostes; imo ante eas, antesignanum. Euangelista nominat Iudam, addendo. *Vnum ex discipulis*, ad terrorem nostrum, qui etiam panceum imitari possumus. Venit miser ille cum turba infidelium non tantum corpore, sed etiam voluntate capiendi Dominum & Magistrum suum. Nam solo corpore inter istas turbas fuisse non obfuisset, vt patet de Lot & Daniele &c. bonis inter malos.

**A**vertat Deus hanc à nobis excecationem: quanquam eam ipsam non minorem etiam nunc videamus pro dolor in quibusdam malucolis & desperatis peccatoribus, qui quo fuerunt in Ecclesiastico statu vel ordine aliquo, altius prouecti, per gratiam, tanto peiores facti sunt duces populorum ad peccatum, vt videmus in Luthero, Monacho, & Caluino Canonico, & pluribus, hodieque Apostatis qui imitantur eum, qui antecedebat turbas euntes ad malum.

§. 94. *Et appropinquabat IESV, vt osculetur eum. n. 47.*

Non pedetentim accedebat, sed accurrebat, ne præda visa elaberetur è manibus, & quasi salutando more Iudæorum amicabiliter, osculatus est Dominum, quo dato symbolo agnosceretur à turba sequente: sed o Iuda, quid agis? amoris signo vulnus infigis? mellis oblatione venenum propinas? charitatis officio sanguinem fundis? instrumento pacis mortem irrogas? Iuda, quid agis? quo decidisti, de Apostolatu ad Apostasiam, de consortio Angelorum ad contubernium dæmonum, de primis amicorum ad primos hostium; de sublimi gratiæ folio ad profundam abyssum damnationis: de participatione augustissimi corporis ad venditionem eius diuinissimi Sanguinis? Ah! quantum sæpe nequitix sub fronte blanda, quantum mali, sub larua boni tegitur. Vere iste Iudas est Princeps  
larua

lauratorum omnium, Et id facis tu quoque, ô peccatrix anima; dum aliquem blanditijs ad peccandum allicis, dum tuis fraudibus decipis: dum per causam pietatis impietatem velas, dum sacram mensam sacrilegè accedis, non diiudicans corpus Domini.

**E**xeste proditores, procul à me exeste: moueat vos diuinæ dulcedo charitatis & viscera misericordiæ Christi, qui pro malevolentia, fauorem, pro odio amorem, pro morte vitam; pro osculo, præbet amplexum. Ego hunc amplexum enixissimè desidero, & peto maximè in hora mortis meæ, Mi JESU: Et detektor omnem Iudaicum huc Iscarioticum amplexum.

*95. Iesus autem dixit illi Iuda osculo filium hominis tradis! v. 48.*

O incomprehensibilis mansuetudo! ô admiranda benignitas! ô humilitas ineffabilis! ô immensa bonitas Magistri in degenerè seruum & discipulum suum plane præstitit, hominem illum proditorem natum non fuisse. Ita tamen, dulcis Iesu, constans fuit bonitas tua; ut quidquid poteras boni illi præstiteres; quo emolliiri potuisset saxeum pectus illius. Post venditionem adhuc tolerasti eum in societate Apostolorum, imo in sacerdotem consecrasti, beneficentia & amore fouisti in mensa, amanter alloquens pedes lauans, cum humilitate & lacrymis; Voluisti eum per pudorem vincere, & reducere coram discipulis, rei ostendens indignationem, dicens: *Qui intrinjet mecum manum in paropside, hic me tradet.* Idem conatus es facere, per minas & metum pœnarum & æterni. *Va homini illi, per quem filius hominis tradetur comminationem, dicendo melius foret illi, si natus non fuisset homo ille.* Sed & verbis eum amabilibus nunc aggressus es dicens: *Iuda osculo filium hominis tradis? ac si diceres: Itane de te meritus sum Iuda? Num peccaui in te lauans pedes tuos, curuans tibi genua mea? respiciens te corpore & sanguine meo? Iuda; ad quid venisti!*

**O**bflecto, attendamus; ne nos simus de illis, qui osculo filium hominis tradunt. Tales autem sunt non solum falsi fratres, qui pacem loquuntur cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: qualium magnus est, pro dolor, numerus; sed etiam tales sunt, qui indignè ad Sacramentum Communionis accedunt, non præmissâ debita scelerum agnitione, dolore, ac confessione. Hi enim quasi osculum præbent filio Dei, & eum peccatis suis crucifigendum tradunt. O quam multi de hoc numero! forte etiam sacerdotes, O quam multi fideles qui magna parte vitæ vix semel dignè accedunt eandem, quam Iudas iniuriâ renouantes, O quoties Domine ad  
mille

mille sexcentis annis, hanc patienter iniuriam tulisti! poteras vel Elia ignem, vel Ananiæ subitam mortem, vel Eleemolynæ cæcitatem eis infligere ad ultionem; sed maus tu charitatis ignem in cordibus eorum accendere ad conuersionem: Hæc est benignitas tua, quam testatus es erga Iudam, dicens: *Iuda osculo filium hominis tradis!*

§. 96. *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt: Domine si percutimus in gladio? v. 49.*

Mente reuoluentes dicta Christi in cæna, de alicuius in mensa proditione per verba, *Vnus vestrum me traditurus est: qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet.* Et videntes iam facta Iudæ proditoria, sub specie amicabilem osculi & auribus percipientes verba Christi ad ipsum: *Iuda, osculo filium hominis tradis* & appropinquando milites iniicere in Dominum cum impetu sacrilegas & violentas manus; Dixerunt discipuli, *Domine si percutimus in gladio:* ubi multa consideranda obueniunt: 1. quod Discipuli veracitatem Magistri sui agnoscunt in prædicando. 2. quod memores mandati eius, de non percutiendo priuata Authoritate, prius eum interrogant, an debeant percutere armis. 3. Zelus & animositas paucorum contra tam multos & belli peritos.

**O** Fideles & animosi discipuli, tanto magistro digni, orate pro me eundem vt & ego vobiscum intendam & pergam animose, & fideliter eius honorem defendere omni tempore & modo quo possum, & expedit animæ meæ: verbis, facto, cogitatione, vsque ad vltimam spiritus mei exhalationem! Veruntamen semper ita, vt prius os Domini interrogem siue vicariorum illius.

§. 97. *Et percussit vnus ex illis seruum Principis Sacerdotum. v. 50.*

Lucas tacet nomen Petri percutientis, honori eius consulens vel condolens vel certe per prærogatiuam Excellentiæ, describens clam, quasi diceret: *Vnus eximius inter eos, maximus &c.* Vt ut sit multa sunt Domine monstra horribilia quæ occurrunt seruis tuis ambulantibus per viam & festinantibus ad ciuitatem, quæ sursum; est & propterea in schola tua instruantur & animantur fortes Auditores tui ad pugnandum contra Principes tenebrarum, contra leges mundi, & contra seipsum, quod est partium omnium fortissimum; in hoc tu Magister vitæ doces manus nostras ad prælium & digitos ad bellum, ne postquam spiritu cœperunt carne consummentur, aut alio modo deficiant. Quocirca illi armati virtute tua procedunt firmiter sperantes in te, pro varietate præcliorum videntes varia disciplina

ciplina scholæ tuæ: idcirco obsecro te, vt post tot proelia, vexationes, certamina, aliorū etiam me confirmes, vt vincens adhæream tibi Deus meus.

§. 98. *Et amputauit auriculam eius dextram. v. 50.*

Petrus, non expectato responso ad verba sua, quibus interrogabat, an percuteret percussit seruum Pontificis Caiphæ, qui forte primus, vel certe cæteris violentius in Christum insurgebat, & abscidit auriculam ei dexteram; lethale absque dubio vulnus capiti eius infixisset, nisi ictus declinasset per sui dispositionem & bonitatem qui solet etiam indignis & ingratis benefacere, id vero Petrus zelo suo solito, & seruore fecit, etsi non secundum scientiam eo quod iniussus percuteret, contra Domini voluntatem, & quidem Sacerdos jam jam consecratus. Quia autem turba illa tartarea, inuadens Iesum truci vultu, minacibus oculis, animo crudeli, unguibus leonis vndique illum cingebat, & sceleratas iniiciebant manus, continere se Petrus non poterat, præ indignatione, quia irrueret in Christi succursum & percuteret; Et licet ea, quæ hic passus est Christus non ita aperte ex verbis Euangelistarum perspiciantur; subtiliter tamen colligere & elicere ea possumus ex illis Euangelistæ verbis, vbi ait, *Fecerunt in eum omnia, quæcumque voluerunt*, Et quid æstimare possit, quænam canes illi rapidi in agnum innoxium, machinati sint, si fecere, quidquid illis placuit.

Spiritus charitatis tuæ Domine, vrsit, haud dubie Petrum cupientem præseruare te ab immundis: sed an illa charitas diuina fuerit, an humana, nescio discernere, quia valde reconditos habet recessus & cryptas cor humanum; Ego interim laudo Petrum defendentem Magistrum suum, etsi Tu magister, officium pietatis recusaris illo tibi tempore impendi, sed & stimulat me Petri exemplum, vt zelum habeam honoris tui, eumque quando fas est etiam viribus corporeis demonstrarem.

§. 99. *Respondens autem Iesus ait eis; finite vsque huc. v. 51.*

Simon Petrus, qui animosiore constantia Domino adhærebat, & contra violentorum impetus, seruore sanctæ charitatis exarserat, in seruum Principis sacerdotum, vsus est gladio, & aurem viri ferocius agentis abscidit, sed hunc zelantis Apostoli pium motum progredi Dominus ultra non patiebatur, recondi gladium iubet, nec sinere vult, sese illa vice aduersus impios manu ferroque defendi, quia contra Sacramentum redemptionis nostræ erat, si, qui mori pro omnibus venerat, capi noller. Sed quid est illud, *vsque huc*? vti que non aliud, quam quod respondente Iesu ne percuterent, & ictu simul contingente, Dominus videns auriculam ab-

M

scindi,



sciendi, protinus miserus, malum voluit oblinere, & ad se læsum accessit ut sanaret, quod & fecit, tangendo. Vnde maior apparet istorum latronum cæcitas, qui sanantem miraculose vulnera inimicorum suorum, captivarunt.

**O** Dulcissime! & amantissime agne! quam mitis es in hostes tuos, quam magnus es in obedientia patris, in omnibus voluntatem eius respiciens! Quam promptè te offers in victimam, pro me ingrato peccatore, & ego in minima occasione patientiæ, quomodo refugio calicem, quem mihi præbes! quam sum passionatus! quam turbulentus! mordeo, clamo, vulnero; fac me igitur mitem erga quoscunque & da verum erga te amorem & plenam resignationem in voluntatem tuam, ut finam omnia que emendare non possum, donec iudicaturus venias sæculum.

§. 100. *Es cum tetigisset auriculam eius sanauit eum. v. 51.*

Viden, quare dixerit Dominus. *Vsque huc*: nimirum ad se auriculam & læsum voluit adduci, ut tangendo miraculose sanaret. O incomprehensibilis mansuetudo! ô admiranda benignitas! ô humilitas ineffabilis! & Domini in ferocem inimicum suum amor! Quis iam ultra lachrymas colligere posset: tam ineffabilem Christi, erga impiè captiuam se, & inimicè tractantem, & dirè vincientem inimicum, attendens benignitatem? Quid dicam? nimis bonus es, bone IESV, non est iste mos hominum. Natura ipsa, docet se conseruare, defendere; & in defensione sua etiam occidere aggredientes, & occidere volentes. Tu autem eos non modo occidere non vis, sed & læsos sanare, & vitam eis felicem donare! Quid hoc ipsum beneficium humanam superat naturam: venerat seruus, ut comprehenderet IESVM; venerat, ut iusto mortem inferret, ipse nec hostem patitur est vulnerari, & vulneratum inimicum, ipse sanauit. Obstupescite homines.

§. 101. *Dixit autem IESVS ad eos qui venerunt ad se Principes Sacerdotum & Magistratus templi, & Seniores. v. 52.*

Ergo iuxta huius Euangelistæ sententiam, non solum cohors militum secuta est Iudam ad capiendum IESVM in horto, sed & ipsi principes aliqui Sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniores, cum ministris eorum, ædentes desiderio perdendi Christum, stimulis inuidiæ & vindictæ dudum agitati, ut prospicerent, ne quæ fraus subesset in eius discipulo Iuda, aut negligentia & torpor in milite; & in casu aliquo improviso eundem anti-

maturi, nisi forte admissos à Principibus loquatur, quasi ad principales eorum, ut scire sit, præsentibus qui tamen erant absentes.

**O**beccati & impij: quid opus erat, ut tam frequenti numero veniretis capere & eum ligare, qui se vltro, manibus vestris, ut ouem offerre est paratus? certe nesciebatis plane, vti vestra in ipsum satisfaceretis malitia, & quibus probis & cruciatibus in eum delatueretis, ideo ita recorditer proceditis, non agenda faciendo, & facienda omittendo, ista plane est potestas & modus proprius Dæmoniorum, qui vos in ductore vestro Iuda nunc regit & subigit.

§. 102. Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus. v. 52.

Ac si diceret: latronis officium est nocere & latitare: ego vero nemini nocui, sed plures sanavi, & in synagogis semper docui: ergo stultè facitis cum gladijs & fustibus me quærendo: & quæso, quando me cum armis incedentem vidistis? vel audistis. Vnde ergo contra inermem cum armis venistis? non videtis, vos irrationabili modo procedere, & consequenter inuolida esse, quæ attentatis?

**V**ide nunc anima mea tuum dilectum, cuius capus aurum optimum, qui pascebat in inter lilia, in cuius labijs diffusa est gratia, nec vlla vnquam in eius manibus inuenta est iniquitas. Ecce, ut nunc gladijs fustibusque conquiritur & impetitur: ac si in omnibus deliquisset, nihilque esset atrocitatis vel pœnæ, quod in caput eius innoxium conuerti non debeat. Haud dubie & vitis erat ad manum Tribuni, more Romano, qua si opus, vti falsa ipse falsus Tribunus vitem nostram veram feriret, perstringeretque, ut fructum in tempore suo profertret vberius. Dic igitur anima Deo devota, & clama: ego, ego, quæ peccaui, Hic autem quid fecit! en me, quam quæritis, quæ furtum commisi, quæ rapui, quæ in cælum & terram peccaui. hic autem nihil maligne fecit.

§. 103. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo. v. 53.

Hoc quotidie, si de tota vita Christi intelligi debet, vti que pro frequenter accipiendum est de synagogis: si vero de proximior, ante captiuitatem tempore, sensus sit, propriissime est explicandum de templo Ierosolymitano, in quo & die Dominica præcedente triumphali inuectus pompa, adfuit, & die lunæ, & die martis illius Hebdomadæ, in qua est captus. Mira res! aduerte hic, ô Christiane, verba illa, & obserua, ô Dei Sacerdos, vbi Christus quotidie fuerit: non in caupona, non in venatione, vel aucupio, vel domo lusoria, sed in templo

M

Chri

Christus fuit quotidie, in domo patris sui, ut eum ibi adoraret *in spiritu & veritate*: Quid ad hæc dicitis? ô tepide Christiane, quid sacerdos negligens, qui Deo & templo sacratus es! Quotidiè templum visitas? ibidemque expandis manus ad Deum, & cor ibidemne laudes eius decantas? doces verbo & exemplo? Vide ne te quandoque pœniteat desidia tua, & ab hostibus templi circumveniaris, & æternum puniaris, ob neglectum templi tui.

**O** Sol sapientiæ Christe, qui in templo frequenter apparere dignatus es, & radios tuos, per nubem humanitatis emittere: digneris etiam nos illuminare luce gratiæ tuæ, contra tenebras culpæ, luce sapientiæ contra tenebras ignorantia; tuæ veritatis fulgore contra tenebras erroris, & docere nos viam salutis & æternitatis. Doce nos in domo patris tui libenter conuersari, & in negotijs eius gloriam concernentibus libenter occupari, donec tandem ad domum æternam, Te duce, & tua luce pertingamus, ubi te & patrem contemplemur visione & fruitione sempiterna.

§. 104. *Non extendistis manus in me, v. 53.*

Aliud argumentum proponit Hostibus suis Dominus, ut agnoscant rem, quam agebant, non esse humanæ rationis, sed diabolici impetus & furoris, nimirum: Vos habentes voluntatem comprehendere me, tum in templo, tum in synagogis, docentem de die, & reprehendentem publicè peccata vestra, non capiebatis: nunc autem cum nox est, & in quiete sunt omnia, cum vos non reprehendo, cum celebritas diei festi agenda & pascha celebrandum est, venitis cum armis & fustibus comprehendere me: Quid causæ? quia duces habetis, non à bono spiritu agitur discipulum meum qui sui oblitus & conscientia, captus amore pecuniæ; studens iniquitati ad iniquitatem, spe remunerationis proditoria, & clam sine tumultu, de nocte, tradere me vult vobis, quod die lucente, populo præsentem, & civium bonorum turma inspectante facere & perpetrare, non ausus fuisset. Iste vobis insanæ tantæ Author est, ipsi autem dæmon,

**O** Anima deuota, si illis præsentem fuisses, nunquid talia audiendo Creatori tuo compassa fuisses? & libenter eum defendisses? nonne tunc abundantissime doluisses & fleuisses? pone ergo hæc omnia nunc coram oculis mentis tuæ, tanquam si tunc præsentem fuisses, & compatere Christo tuo, atque considera, ne & tu talia insana & irrationabilia ex passionibus actites, quia ybi contra rationem agitur,  
ibi

ibi certe Deus agendi non est principium, sed diabolus. Fuge ergo, fuge passionibus obsequi.

§. 105. *Sed hac est hora vestra, & potestas tenebrarum. v. 35.*

Ex duobus argumentis jam allatis, concludit Christus, & remonstrat hostibus suis, quod ad hunc actum à dæmonibus sint inducti, ut eos deterreret ab ulteriore in malis progressu: Ego autem miror hic Domini mei in discursibus tam rationabilibus, inter strepitum, armorum constantiam, & animi præsentiam, etiam moderationem, qua tenebras appellat ipsa dæmonia & peccata.

**O**lesu sapientia Dei, æterna veritas, quam clarè effulsit hoc divinum lumen tuum super filios Adæ: quam omnis vita, cunctaque operatio tua, lux quædam & manu ductio nobis fuit ad veritatem? quam perspicue lumen cœlestis doctrinæ tuæ tunc luxit in tenebris? quam universa opera tua humilitate, patientia, charitate, abstinencia, & omni denique gratia & virtute abundant! ita ut in his perfectissima exempla totius sanctitatis, cunctis reluceant; O quam studiose conatus es plantare vineam patris tui? nec tibi ipsi ab æstu, à frigore, à siti & fame, à vigiliis & laboribus pepercisti: enimvero cor tuum præ ardenti desiderio intra te velut in olla ferventi æstuabat, ut patri tuo lucrum reportares, & omnem Israël salvum faceres tua pietate, quam veneror & adoro.

§. 106. *Comprehendentes autem eum. v. 54.*

Quia hora eorum erat, & potestas tenebrarum juxta talium principiorum morem, nempe in humanum & atrocem, comprehendentes; satis barbarè ligarunt, vinculisque compluribus, & manicis ferreis constrinxerunt, quorum alia collo, alia manibus injecerunt. Erat igitur qui guttur illius propè strangulabat; alii manus & pedes arctè nimis copulabant. Quid tunc cogitaverit, quid meditatus fuerit Dominus quando vincula peccatorum circumdabant eum! ipse novit, nos conjectemus meditando, conjectando gratias agamus, & agendo gratias pacem habeamus.

**I**esu vinculis alligatè à ludæis miserere mei & omnium ne mortalibus culpis unquam innexi comprehendamur ab ira tua & satanæ servitute.

§. 107. *Duxerunt ad Domum principis sacerdotum. v. 54.*

Princeps sacerdotum illo anno, & duobus præcedentibus erat fueratque Iosephus Caiphas, & ante eum fuerat in eodem officio Annas, sive Annanus & tres intermedii successivè, nempe Ismael filius Fabi, & Eleaza-

rus Filius Anani; & Simon filius Canuthi; uti testatur Iosephus in hist. Iudaica; ad illum igitur Caipham ductus est Dominus; quē enim alium intelligemus? quam eum qui concilium de occidendo Christo convocavit, & in eo consilium dedit, de occidendo Domino vero agno tollente mundi peccatum!

**V**erē sacerdotes Levitici generis fuerunt laviones, mactabant enim bestias; sed & hīc fuerunt omninō carnifices, quia hominem occidere properarunt. Qualis igitur horum princeps fuerit, facile, apparet ex turba. O quam pulchrum & purum sacerdotium novae legis, in qua non vituli aut boves, multo minus homines mactantur, sed panis & vinum & sub horum specie Dei filius, quotidie purissimē immolantur.

§. 108. Petrus vero sequebatur à longe. v. 54.

Timore pariter & amore percussus; Timore, ne fortē cum Christo uti percussor ministri pontificij & Christi defensor caperetur, & poenae audaciae contra cohortem Romanam, se solum opponendo, & oppugnando lueret capitalem: Amore, ne videretur omninō deservisse bonum Magistrum, post tot illi factas promissiones, de secum eundo, ad passionem & mortem: à longe autem sequitur Petrus, quia medium aliquod elegit inter Christi amicitiam & Apostasiam: sed foras adhuc in eo nobis maxima sit admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret; merus naturae erat: sequi Dominum pietatis. Miserum quod timet: Beatum quod non fugit: quod sequitur devotionis est; quod negat obreptionis. Commune quod labitori fidei quod poenitet.

**A**nima mea recordare & tu, quoties non solum à longē non secutus fueris Dominum, sed & plane deserueris, cum & aufergeris ab eo qui tamen ipsa est bonitas infinita, & tibi acclamavit dicens. *Reverte, Reverte, sum mitis.*

§. 109. Accenso autem igne in atrio. v. 55.

Quia tempus primiveris, adhuc frigidum erat, maximē nocte, & multitudo populi, & famulorum, & militum, in atrio hārebat, ut ea se caesare facere posset, & videre intrantes & exeuntes aulam pontificis, expectareque ibidem commodius tuorum principum & seniorum adventum & reditum à consilio, & ne tumultus fieret, aut impedimentum aliquod in tenebris à populo, & amicis Iesu Christi; ideo accensus est luculentus ignis: Erat igitur duplex eo tempore ignis in aula istius pontificis, nempe

corporalis in atrio, & spiritalis; qui est Christus intra conclavia pontificis inclusus; sed apud hunc tunc temporis, nulli ferè; apud istum multi se calefaciebant.

**O** Iesu ignis consumens: O Iesu; lux vera, ardebas in palatio, & nemo sentiebat ardorem ignis tui: Lucebas, ut sol, in tenebris, & tenebra non comprehendebant splendorem tuum. O si ad te ita propinquarent homines, uti propinquant ad focos, quantum calerent, & quam bene; certe æternum.

§. 110. Et circumfidentibus illis. v. 55.

Ministris scilicet principum Iudæorum; nam milites in stationibus suis dispositos consistere debuisse est valde probabile, quibus non solet continuo focus strui, sed durius haberi, unde etiam ipsi cum potestatem accipiunt alios duriter tractare; consueverunt; utpote male sæpè tractati.

**O** Christe Iesu, da mihi, ut me omnibus discretè humanum exhibeam; neminem exasperem; neminem in eptè palpem; ut nemo jure offendatur.

§. 111. Erat Patrum in medio eorum. v. 56.

Quo devenisti Petre, qui paulò ante sedebas in medio sanctorum Apostolorum Christi, cum ipso, sancto sanctorum in mensa bibens vinum, quod miscuit sapientia Dei, in calice saturari; unde calefactus & quasi ebrius musto divini amoris præclarè pronuntiasti & declarasti coram omnibus; Te paratum & in carcerem & in mortem ire cum Domino tuo. Ecce nunc invenires in medio malignantium, in medio persequentium Dominum tuum ad terrestrem focum, qui antea ardebas igne divini amoris, nunc gelidæ, quasi mortis imago es; totus frigidus, totus congelatus, nesciens præ frigore amoris quid agas, quid dicas; voluisti antea medium tenere inter asseclas Christi, & Apostatas; & ideo sequabaris à longè. At istud medium non valere video, quia ad extremum devenisti.

**O** Deus averte à me pestem hanc Erasmicorum & Cassandristarum & Interemistarum, qui volunt esse medij inter Catholicos & hæreticos, inter tenebras & lucem; in consilium horum obsecro non veniat anima mea.

§. 112. Quem cum vidisset ancilla quadam sedentem ad lumen. v. 56.

Fortè Petrus præ dolore captivitatis Domini sui magis exanimis inter principum & seniorum ministros sedens, finem rescire volens ad ignem  
sede-

sedebat; piæque lacrymæ ex oculis sudabant, & hoc videns ancilla domus, gaudens de Christi captivitate, petulans & garrula intuita est eum contentius, cumque observans mores præ cæteris habere militibus honestiores, volensque placere ministris aliis, cum Petro tragædiam incepit. Quis quid autem sit Ecclesiasticis viris, video periculum imminere ab ancilla.

**O** Deus serva omnes sacri instituti personas, ab effreni & impudenti fœminarum loquela & conversatione.

§. 113. *Et eum fuisset intuita, dixit. v. 57.*

Post aliquod spatium considerationis suæ tam quo ad mores, gestus, habitum, loquelamque Petri sedentis ad focum, cum iniquis & petulantibus militibus judicavit Petrum non esse e numero eorum, sed potius e numero sequentium Iesum. Vnde commota, partim ex arrogantia, partim ex malitia & petulantia, prodebat Petrum subpallidum et si is nulla rei vel alteri molestiam crearet.

**V**ide anima mea gradus per quos veniat Ecclesiasticus in periculum, vidit Petrum, ancilla, fuit eum intuita attentius, cœpit cum eo loqui & Petrus nec eam curans, nec respiciens tamen cito est lapsus. O misera humanæ naturæ, in malum pronæ, quam facile in culpam declinat, qui hoc fati fundo explicabit. Ipsa Petra Ecclesia designata ancilla loquente cadit.

§. 114. *Et hic cum illo erat. v. 57.*

Quis genius tibi dixit, quod tam audacter affirmas (ô petulans mulier) quod hic cum Christo erat, quem alias foris nunquam vidisti; quem loquentem non audisti? morum credidero gravitas, & pietatis honestas; & ideo juxta Regulam Apostoli, pati cogitur Petrus nimirum, omnes qui pie vivunt, & Christum sequi, persecutionem plerumque patiuntur, ab impiis. Nempe eorum quod magis vexatur Petrus, quia iste iam cum impiis conversabatur, cum impiis sedebat verbo communicabat, pœnam ergo suæ conversationis luere permittebatur, ut cito inde fugeret; & ad Christi discipulos converteretur, ne peius quid eveniret. Quid autem ancilla ista dicebat; bonam fructum Petro exprobrabat, nempe esse cum Christo, & simul calumniam jungebat dicendo, *Erat*; quasi diceret, defecit, non est jam amplius. Ecce talia venena in paucis verbis eius abscondebantur.

**D**eus meus, averte oculos meos, ne videant vanitatem, & aures meas sepi spinis, ne audiant malitiam, maximè verba incantatricis valentis ad apostasiam deducere cœli columnas.

§. 115. *At ille negavit eum. v. 57.*

O fragilitas! quanta est hic Petri, qui à Christo tantopere amatus, à patre de divinitate Christi illuminatus & taliter monitus, post tanta promissa, ad vocem unius mulierculæ, pusillanimitas! cur non ait, quid ad te garrula? cur non pugno in os eius involat? uti gladio in Malchum? Sed hæc erat hora hominum & potestas tenebrarum miseranda & ploranda & à Petro per omnem vitam deplorata.

O bone Iesu, quomodo de me præsumam in minimo, ut me peccatorum periculis & occasionibus exponam, quando tam miser & fragilis est ante oculos meos Petrus, ille fortis, ille robustus, super quem ædificabitur paulò post Ecclesia Dei! Exhortor te me & præcipitium in quo sto.

§. 115. *Dicens mulier, non novi illum. v. 57.*

Vfus est Petrus verbo, *Non novi*, quod duplicem habet significationem, nempe negationem cognitionis, quæ est in intellectu, & approbationis quæ est in affectu; & forte voluit tali æquivocatione ludere iectum ancillæ; sed male; quia in neutro sensu poterat eum sermonem Petrus proferre; ideo verè deliquit, verè negavit.

Deus humilium celsitudo, & fortitudo debiliùm: confirma quæsumus quod in nobis es operatus; ut nosmetipsos & secularia desideria abnegantes, te in nullo negemus; sed fidem tuam, quam lingua nostra loquitur etiam moribus, vita lateatur. Veritatem si tacere possimus subinde nunquam tamen assertionem aliqua lædamus; ineptis effugiis, & æquivocationibus non ludamus, qui sumus Christiani.

§. 117. *Et post pusillum, alius videns illum. v. 58.*

Ecce tentationes conglomerantur, ut ruat Petrus de peccato in peccatum; has ut fortiter ipsi parat insidiator dæmon, videtur ab ancilla, videtur à servo, & ab aliis & non videtur esse talis, quales erant Pontificum ministri in moribus, in habitum, in oculis, in loquela, ideo contemplantur illum & judicant acrius.

O infelicem hominum conditionem! si bonus, si justus esse intendis veraris; si perversus es cum perversis, lancinaris. Quid facies miser homo? aut mundus tibi debet vilescere, contemnendo; aut Christi servus esse non poteris, mundo complacendo.

N

§. 118.



§. 118. *Et tu de illis es. v. 58.*

Si astutus fuisset Petrus, ut filii hujus sæculi, quæsisset utique ex ministro, hoc sciscitatore vicissim, *de quibus? de sedentibus? utiq;* nam hoc videt. De male agentibus? id tu, si vir es, proba; & credam. Talia poterat isti homini oggerere Petrus; sed simplex erat, nondum noverat piscator nuper & proxime discipulus Christi modis eludendi scrutatores inimicos, posthac semel doctus experientia melius providebit & sibi & suo gregi.

**V**ere Domine, verum est verbum tuum; quod filii hujus sæculi sunt in generatione sua prudentiores filiis lucis; illi sciunt tam dextrè eludere tuus discipulus, & quidem princeps. Ecce quam est penè idiota! sed hæc est laus tuæ disciplinæ: ut sint discipuli tui simplices ut columbæ, utinam etiam sint prudentes uti serpentes, nam hoc sæpissime eis deest, quoties enim non decipiuntur ab hæreticis! plena sunt Acta publica, & historiarum Ecclesiasticarum.

§. 119. *Petrus vero ait: ô homo non sum. v. 58.*

Iam inculpavi simplicitatem nimiam Petri: nunc duplicitatem damno. Ecce enim in mente sua, ait *sum* Christi, & ore dicit *Non sum* ego Christi, ista, ô Petre, non est simplicitas, sed duplicitas, si aliud mente sentimus aliud ei, quod in mente est contrarium præfitemur. Non est hoc dogma scholæ Christi, ista docet si mente est, ut in ore est, & si in mente est Non sit in ore quoque *Non*. Deus meus, quantum in hoc genere hodieque peccatur! ubi enim est puer, terè loqui potens, qui non penè in horas singulas mentiatur; nisi providâ parentum curâ pusillus aliter instituatur.

**O** Parentes, O Magistri, obsecro vos per Christum intendite omni vi, ut mendacii verba dedoceatis vobis commissos: si veritatem dixerint, confitentes, nolite de eis timere: pœnas ob ullum delictum, sed solum affligite mentientes. Ista methodo, docebitis veritatem loqui, sed aliter pro dolor facit imprudentia humana, mentientes absoluunt, confitentes puniunt. Hoc vero est docere & cogere ad peccatum.

§. 120. *Et intervallo facto quasi hora unius, alius quidam affirmabat, dicens: Veri & hic cum illo erat. v. 59.*

Quid de Petro amplius cogitem, vel dicam, via suppetit, nisi ut profundius in eo contempler omnium hominum communem miseriam, infirmitatem, infelicitatem, pronitatem ad culpam, ægrimoniam ad justitiam; & tantam quidem, ut non mirer fuisse Theologos, qui hanc considerantes, vix humano arbitrio reliquerint aliquam vim ad bonum operis sed

sed quid illi de humano arbitrio in se nude spectato contemplati sunt; malè quidam eorum negaverunt de eodem per gratiam Dei instructo. Sed in hoc ipso illi ipsi facti sunt spectaculum dum suimet fastu testari sunt, se sine gratia ne quidem rectè de se ipsis potuisse sentire.

**Q**uam grave periculum est semel excidisse è gratia Dei per peccatum quot postmodum insidiæ struuntur! quot occasiones relabendi; testis est hic Petrus; testes tot millia Christianorum, qui metu vel Tyrannorum, vel spe amicitia, vel lucri te Deum verum, & vivum negaverunt & ad inferni barathra delapsi sunt. Mi Iesu eripe me ab homine malo, à viro iniquo eripe me, ne fortè seductus te Deum meum negare incipiam, & morte turpissima peream.

§. 121. Nam & Galilæus est. v. 59.

Antea simplicibus assertionibus oppugnabatur Petrus; nunc etiã probationibus, qui accusationis suæ causam etiam addit iste alius, post integrã horam specularatus, dicens: *Nam & Galilæus est patria sicuti suus Dominus cui servit & Magister quem sequitur; ideo comprehendere debet & duci ad principes sacerdotum: quibus verbis maxime est perterritus Petrus & ait: O homo nescio quid dicis, ut à se averteret suspicionem. Quid adeone improbus & perfidus est Christus, ut eius te disciplinae pudeat aut pœniteat Petre, ut eum Magistrum habuisse & agnoscere tibi sit pudor?*

**D**omine quid hic dicam! Petrus homo est, & humani à se nihil alienum putare imposterum non poterit, ecce labitur uti homo peccator; relurgit tamen tua gratia abjutus, ut pœnitens: eandem obsecro mihi donari gratiam, quã relurgam omni die à peccatis meis, qui & ipse indies incidit in peccata.

§. 122. Et ait Petrus, O homo nescio quid dicis. v. 60.

Expendamus verbum Petri, ut incipiamus odisse mendacium, imo eimere, quoniam omne mendacium occidit animam mentientis. Quomodo occidit mendacium animam? an omne mendacium est mortale peccatum? Absit. Sed ita occidit, quod famam mentientis perdit seu honorem, quia nemo ita artificiose mentiri potest, ut non in suomet verbo capiatur, & prudens adhi examinatur & sic semper occidit opinionem ejus bonam, cum nemo hoc sciens ei deinceps credat. Ecce Petrus ait, *O homo nescio quid dicis*

*dicit.* Itane? quomodo ergo ei respondes, si quid dicas, nescis. Si tu vetè nesciebas quid diceret iste exprobrator, certe ex vicino interrogasses: *Quid dicit iste? quid vult?* Hoc non facis, ergo bene scivisti quid diceret ille, sed tu nolebas hoc ab eo dici, quod dicebat, ideo dicis te nescire quid dicat.

**E**cce ita parum solerter homo mentitur, ut ex se ipso prodatur; prodi vero à se in ipso, & suam autoritatem perimi, an non quædam sui occisio est?

§. 123. *Et continuo adhuc eo loquente cantavit gallus. v. 60.*

Continuante Petro adhuc verbum mendacii cantavit gallus: quo cantu commotus Petrus, ut finem faceret verborum mendacii, & blasphemiarum, reminiscens quod paulo ante Dominus vaticinans illic eventurum prædixerat, cœpit se agnoscere. Ego in illo galli cantu agnosco conscientiam, quæ semper post commissum facinus occidit, & inelamat dormientibus, quid fecisti! hoc facere non debuisti; pessimam rem fecisti, Deum offendisti, infernum meruisti.

**O** Deus gratias merito agimus tibi, quod talem galli cantum omnibus hominibus procurasti, ne in somno peccati æterno obdormiscamus, sed excitati ad lucem suam respiremus, & surgendo redeamus.

§. 124. *Et conversus Dominus respexit Petrum. v. 61.*

Parum erat gallum cantare Petro, conscientiam inelamare & damnare; nec respiraret Petrus, nisi eum Dominus respiceret; iste aspectus potentius excitat sepultum, quam gallorum omnium cantus vel clamor.

**B**ona habet: agnosco & adoro potentiam tuæ gratiæ, Iesu in convertendo quolibet peccatore, respice nos semper, bone Iesu.

§. 125. *Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat. v. 61.*

**O** felicem vultus huius aspectum! quam misericordis fuit hic, & ad se trahere volentis errantem! illustrando mentem, ac movendo affectum, iratus erat Dominus arroganti Petro, amisit gratiæ lucem ad tempus, occidit ei sol ad vesperam, nunc mane humiliatus convertitur, incipit ei sol reoriri, apparere gratia.

**A**stronimi nugaces frustra nobis varios astrorum quorundam aspectus in calendariis depingunt.  $\Delta \square * \sigma \circ$  isti sunt vani & nullius virtutis aspectus. Hic aspectus Christi est quærendus cunctis diebus, ille est felix, ille est operum nostrorum rector melior, quam omnes aspectus planetarum.

§. 126. Priusquam gallus cantet, ter me negabis. v. 61.

Iam ostendi, non gallum, vel eius cantum conuersioni S. Petri fuisse principium; fuit tamen etiam galli cantus conuersionis eiusdem aliquod instrumentum à gratia applicatum. Et habuit instrumento isti, licet tam parum agenti, magnum honorem Petrus, quia instituit, ut in cippis & sacris turribus ædium idea galli collocaretur apud Christianos, qui tantum honorem habuit gallo, quantum gratitudinis habuerit gratiæ Dei! Certe hinc æstimo verbum Petri: *Tu seis Domine quia amo te.* Alie hoc ex isto intelligo factò.

O Deus, da obsecro mihi donum gratitudinis, vt semper maximi faciam tuam gratiam.

§. 127. Et egressus foras. v. 61.

Quia in aula peccauerat Petrus, per consortium malorum, meritò ex ea egressus est foras, oculis misericordiæ Christi eum euocantibus, vt extra eam ageret pœnitentiam. Non bene pœnitentiam agit potator inter pocula; scortator in lecto, auarus in telonio, & quiuis peccator in occasione & illecebra sui lapsus.

O Peccatores exite, extra occasiones & illecebras mali, si vultis serio esse pœnitentes: si proximæ peccati occasiones non viteatur, peccatum amari censent Theologi, non dimitti.

§. 128. Fleuit amarè. v. 61.

Vt primum gratia Dei concurrrens loculum conscientiæ Petri tetigit: & hæ lachrymæ, siue extimore pœnæ, siue ex amore profluere cœperunt per Redemptoris fidem & spem; dies cœpit aboriri in anima Petri; fuerunt illæ lacrymæ pluuia omnium dignissima; fuit ille ros nocturnus, inter rores omnes pulcherrimus; inter guttas noctium amantissima dignaque, quæ omnium capita impleantur, vt est in cantico. Quam gratæ hæ Domino fuerint lacrymæ etiam ex eo constat, quod resurrectionis suæ nuntium specialiter Petro voluerit nuntiari. Nec semel Petrus has fudit lacrymas, sed vt testatur S. Clemens tota eas vita fouit, & ad galli cantum resuscitauit.

O Jesu Benignissime, quam fœlices sunt illi, quos ita respiciunt oculi tui, quos sic micantibus illustras radijs diuinæ lucis tuæ, vt & fundum suum perspiciere, & vitia sua agnoscere queant! quam cito illi conuertuntur! quam celeriter frigida illa corda calefcunt & emolliuntur, amore liquefcunt

cunt & fluunt: quæque antea à peccatis abstinere non poterant, iam corde conuerso clamant. *Domine quid me vis facere?* certè amatum non fuit flere Petrum amarè, quia videtur fleuisse amore.

§. 129. *Et viri qui tenebant illum. v. 62.*

Cur Christus Dominus solum respiciendo succurrerit Petro, indicatur causa, quod tunc à viris tenebatur, quando se miraculo liberum facere detrectabat. Quid sit viros tenuisse IESVM facile capit, qui virum pro robusto, in sacris litteris accipi nouit. Fortissimi igitur & audacissimi adhibiti sunt, & hi barbaris manibus eum barbære tenebant, ne, si arte miraculouè euaderet, illuderentur ipsi.

O Jelu fili Dei benedicti; ô Saluator pijsime & quis tibi non comparatur? quis tam ferreus, tamque ab humanitate alienus vt non comparatur, quod modo tenearis vinculus ab eis, quos creasti, quos conseruas, quos æternis damnare potes supplicijs: ego te in illis vinculis adoro & glorifico, Deus meus; Dominus meus.

§. 130. *Illudiebant ei, cadentes. v. 63.*

Soluto consilio noctis & indico reditu in summum mane, vt aliquis iudicij repetiti species seruari videretur, aliquam quietis partem sibi dare visi sunt; at Domino nihil indultum quietis, sed reliqua nocte à ministris eius custodiæ commissis dirè vexatus est, nec erubuerunt, Euangelistæ aliqua saltem ludibriorum genera recensere quæ Dominus volens ista nocte nostri causa passus est, nosque eo magis illi obstrictos tenent, quo sunt indigniora & acerbiora. Expuerunt enim in faciem, quod erat genus contumeliæ grauissimum, & pro numero ministrorum magna fuerit oportet vis & sceditas sputorum, quibus diuina facies planè operata fuit. Colapis ceciderunt idest manu & pugno, caput, collum, dorsum aliasque partes pullarunt; addebatur plaga super plagam, lior super liorem, & quassatio super quassationem, donec corpus illud speciosum præ filijs hominum totum deformaretur, velauerunt oculos vt liberius eum cæderent cum irrisione; alapas dederunt manu aperta seu palmas in faciem eius. Hæc & talia plura infanda scurriliter in eo scurræ fecerunt.

Ego Te Christe veneror ac supplex adoro & acclamo, ô bone Iesu, hæc ludibria ac tormenta sint animæ meæ ornamentum, ac munimentum, supplico tuis gloriæ opprobrijs, tuis inuitar meritis, ex hac nocturna

vexatione & illusione tua certam spem salutis, & expectationem gloriæ  
tempiternæ consecuturum me confido.

§. 131. *Et velauerunt eum. v. 64.*

Vt sese recrearent, varia ingenio malo adinuenerunt opprobria, in  
quibus, qui excelleret, ille inter eos amplior videbatur, ita enim fieri solet  
inter ardeliones, qui vbi conuenerint, ingentem habent gazam ironiarum  
& propudiorum. nemo ibi ingenio vult cedere.

§. Ed cur tu, ô pater Iuste, Pater omnipotens, qui habitas in cœlis, non  
confundis eos & facis, vt lingua loquentium iniqua arefcat, aut faucibus  
eorum adhæreat? causa est, quod hæc sit hora hominum, & potestas tene-  
brarum, quam permittere voluit Dominus, vt nos ab illis tenebris & po-  
testate liberaremur æternum.

§. 132. *Et percutiebant faciem eius. v. 64.*

Plenam maiestate & decore: tam sæpe, tam dirè, tam crudeliter, vt  
per impactos illi colaphos intumuerit, dentes commoti sint intra gingiuas,  
barbam multis in partibus euellentes, cuius mentionem Euangelistæ  
quidem non faciunt, sed Prophetæ & inter alios Isaias dicens: *genas meas  
dedi vellentibus.* Verum quam grauis eiusmodi Christo ignominia irrogata  
fuerit cum illi barbam conuellebant, ex Clementis Alexandrini verbis fa-  
cile colligi potest. sic enim inquit: *Hos pilostanti fecit Deus, vt eos, cum ad pru-  
dentiam atas hominis accedit, simul adesse, hominibus iubeat,* & infra subdit, *Nefas  
est barbam vellere,* quæ est pulchritudo congenita, pulchritudo generosa &  
ingenua: insuper hanc Seruatoris venerandam faciem ludibrio habebant,  
iuxta Isaiam dicentem; *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuenti-  
bus;* §. Iob etiam præter iam dictas iniurias eandem verberibus cæsam præ-  
dixit: *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

§. Alue igitur, & millies salue sancta facies nostri Redemptoris; in qua ni-  
det species diuini splendoris, hodie refulgens in cœlis, & in iudicio ex-  
tremo illustratura mundum vniuersum, Te Religiosi & Ecclesiastici ordi-  
nis viri multi honorant, cum ad tuæ conuulsionis venerandam memo-  
riam exprimendam genas suas & barbas veteri more radunt, & decal-  
nant,

§. 133. *Et interrogabant eum. v. 64.*

Omnis generis curiositates, nequitias & vilitates (quas homini  
honesto est nefas loqui) exercuerunt isti furciferi; irridendo eius  
cencio-

concionēs, dicta, facta & exempla nequiter & petulanter adducendo verba Sacrae scripturae interpretantes, & sibi peruersē & ipsi applicantes, excellere vnus prae alio gestiebat, interrogabant eum de doctrina sua imprimis quomodo corpus eius esset panis de discipulis, de patre & matre eius, de genealogia, de familia, de diuitijs: & quia se diceret Prophetam, scire deberet vbi essent absconditi thesauri pecuniarum, vt eos reuelaret Principibus, & sic se liberare posset ab hac dira sua captiuitate & morte, quam ei inferre tentarent; imo si sibi eosdem reuelaret, se eum velle sinere elabi, Talia enim irritoriē effutisse Iudaeos, & ministros eorum insinuat Prophetam dicens: *Mittamus lignum in panem eius.*

**H**ic cogita anima Christi fidelis, quam acer dolor penetraverit afflictissimum cor Iesu, cum sublati parumper luidis oculis & circumspiciens, num quis in tanta turba foret, qui olim affectas aliquo beneficio, vel audita ipsius doctrina saltem compareretur sibi, vel verbo defenderet, aut responderet iniquorum petitionibus, & non est inuentus ne vnus,

§. 134. *Dicentes prophetiza. v. 64.*

Accipio hoc verbum quasi dixerit, iam est tempus prophetizandi, si quid potes, igitur in hac arte, age, exere vim; materiam tibi damus, in qua clarē videre licebit an fallas.

**C**onsolamini, consolamini, omnes qui timetis Deum, vt seruitus ei, si vobis quoque accidat pati opprobria, ecce habetis, in quos vos solari possitis, grauiora Dominus vester tulit, nolite deficere animis. Vicit ille & vos vincetis cum eo.

§. 135. *Quis est, qui te percussit? v. 64.*

Fatuē hi Iurcones iubebant Prophetam edicere, quis ipsum percussisset cum percutientem oculis conspicerent, aut ipsimet percuterent. Optimē siluit Christus ad huiusmodi stulta postulata, nam prophetate est abscondita reuelare, maxime quae lumine naturae nequeunt penetrari.

**O** Deus, da mihi gratiam, vt quando responsa illusoriē, ex me vel alio viro bono postulantur, ea tuo exemplo docti praetermittamus, iuxta monitum Salomonis, tibi enim est tempus silendi, quando non est bona ratio loquendi.

§. 136.

§. 136. Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum. v. 65.

Quæ erant alia multa? nisi iniuriæ, obiectiones, accusationes, execrationes, blasphemiarum cogitet quisque ex his quæ iam dicta sunt. Nimirum, quod ipse non posset esse Deus, nec filius Dei, minimè Messias, quem expectarent Iudæi imò quod esset patriæ proditor, seductor gentium & Iudæorum, Dæmonium habens: Hypocrita, non Propheta, Fabri filius, vaser, iniquus, vini potator, & qui pervertere studeret legem Moÿs & Iudæorum; fidem à Patribus & Prophetis diuinitus datam &c. tacebat interea Dominus noctem eam supremam, vitæ mortalis traducens in oratione pro ijs ipsis tortoribus nobisque omnibus Deum Patrem exorans, in eius vniuersæ sacratissima voluntate atque obedientia acquiescens; ex quo & aliud adijciendum genus contumeliarum, cum eius summo cruciatu coniunctum, nullam tomno morulam corpusculo fello permitterent. Quis talia fando temperet à lacrymis? quid his contumelijs potest adæquare in faciem illam, quam fluctus maris reueriti sunt; quam sol in cruce videns, radios occultat, spuebant, cædebant explentes inimicam tabiæ; sane vel cogitatu horrendum est homini, quantumuis res mox morituro talia irrogari: nedum innocentem patri ab ijs quos summis affecerat beneficijs, ab infamibus vilissimisque ministris? Quid? Deum ipsum ab hominibus, eorum salutis causa venari! sed omnia hæc in Iudæorum caput reciderunt, vestis sacerdotalis eis adempta; oculis velamen impositum; facti sunt inderisum & improperium omnibus nationibus in præsentem diem.

Nos igitur, o patientissime Iesu, Domine & Rex cæli & terræ, nos te veneremur ac supplices adoremus, tuæque hæc ludibria ac tormenta animarum nostrarum ornamenta sint ac munimenta; tuis gloriemur opprobrijs; tuis iuniamur meritis; ex hac nocturna precatione & illusionem certam spem salutis, & expectationem gloriæ sempiternæ consequamur. Amen,

§. 137. Et ut factus est dies. v. 66.

Crederes forte hæc, piè lector, Christo datam aliquam requiem à vexationibus: sed nocte tota hæc, nec custodes, nec Iudices, sua voluntate; neque Dominus noster aliena malitia, per momentum aliquod quietem habuit.

Consolate te Christiane si vel ab immiti Domino, vel hoste vel superiore, vel alijs causis etiam obedientia grauaris, si requies tibi non conceditur



ceditur optata; adhuc mitius tecum agitur, quam cum Domino tuo actum est, consolare, noli anxari, vel plorare, dic intra te: dabit Deus his quoque finem.

§. 1. 8. *Conuenerunt Seniores populi & Principes Sacerdotum & Scribae. v. 66.*

1. Quia nocte latae sententiae, vel iudicia facta non habentur valida; sic summo mane iterum congregantur Sacerdotes, Scribae & Seniores ut omnium suffragiis nocturna condemnatio renouetur. 2. Si quidem hanc iustitiam non curauerint, iniquis certe noua concilij conuocandis rat causa; nimirum quomodo nocturna Christi ad mortem condemnatio executioni daretur, an ipsi per se eum deberent occidere, an per Praedem curare occidi. Ut igitur suas scrutationes efficaciter in necem Christi quanto citius perducerent ad finem, magno desiderio expectato lucis exortu confluerunt; vnde appositè S. Leo sic eos arguit. Hoc mane, & lucis non ortus vobis lucis contigit, sed occidit, nec vestris oculis solitus dies prodijt, sed impijs mentibus nox tetrae caecitatis incubuit. Hoc mane vobis templum & altaria diruit; Legem & Prophetas ademit; Regnum & Sacerdotium abtulit, in laetum aeternum omnia festa conuertit. *Luce enim insanum cruentumque consilium tauri pingues, vituli multi frementes bestiae, canes rabidi, ut morti authorem vitae & ignominiae Dominum gloriae traderentis.*

**D**omine, deduc me in iustitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu tuo viam meam; inclinaui enim cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem. Nolo me inquam rellum conciliorum esse partem; nec ad ea aduocari, vbi de iustitia opprimenda consultatur.

§. 139. *Et duxerunt illum in concilium suum. v. 66.*

Cum iam dies illuxisset, & tristis illa nox finem accepisset, tristior succedente die; Principesque sacerdotum iterum conuenissent in concilium, ut Christum morti addictum, ei cito inuoluerent, crudeles & impij Tyranni in domo Caiphæ Dominum per crudeles ministros barbarè trahentes & trahentes, duxerunt in concilium, ut iam tunc vere dicere possent ad spectatores; videre quam viliter trahor! quam crudeliter, trahor quam patienter sustineo!

**C**onseruet Deus optimus maximus omnes Regentes, ne in hoc exemplum malitiæ & nequitiae incidant; & fac cum seruo tuo Domine secundum misericordiam tuam, ut iustificationes tuas requiram, semper.

§. 140. *Dicentes: si tu es Christus, dic nobis. v. 66.*

Hanc quæstionem alij blando me, alij duro ore, permixtim & turbulente proposuerunt Domino; illi cogitantes, si eum blande compellamus confidenter suam dicet sententiam: hi, si proterve eum affamur, territus negabit se esse quod aliàs dixit; sed peruidebat Dominus consilium omnium eorum contra se, & nec blanditijs astute agentium, nec terrore truculentorum capiebatur sapientia Dei.

**D**omine, bene permisisti circa te talia sophismata exerceri, ut tui fideles per ista instruerentur ad cautelam, eadem enim egerunt persecutores gentiles, & hæretici falsi fratres in tuis seruis, quæ in te exercuerunt Iudæi. Tibi igitur laus & gloria sit in sæcula qui nobis tam illustri exemplo præite dignatus es.

§. 141. *Et ait illis: si vobis dixerò, non credetis mihi. v. 67.*

Attende ad bonos mores Christi Domini tui, considera quomodo & quam modeste, humili et discretè, & sine cholera, arrogantia aut metu responsum det ijs, qui ipsam interrogant, cum arrogantia, odio, & inuidia. Discet & tu humiliter & cum modestia respondere amicis, & inimicis tuis pariter te interrogantibus: ut modestia tua laudetur coram Deo & hominibus, & quid respondit interrogantibus: An esset Christus? non aliud quam, non credetis: Certe hoc dicendo, satis ostendebat se esse Christum, quia hoc ipso ostendebat, te vel Deum, qui secreta cordis ipsorum pernosceret, vel valde prudentem, qui ex ante gestis certo prævideret futura contingentia, maxime contingenter te habentia; uti est velle credere, vel nolle.

**D**eus meus, agnosco te ex tuis meritis signis quæ sunt sapientia, gratia, & virtutes; & ideo adoro verbum tuum bonum, verbum sanctum, credo, credo.

§. 142. *Si autem interrogauero, non respondebitis. v. 68.*

Tam dixerat Dominus: si Theles posuero & explicationem earum per sacrarum litterarum, Moysis & aliorum Prophetarum & Patriarcharum Patrum vestrorum consensum probauero, non credetis; quia feci tam potenter quam fieri potest. Contra si vos Thesis ponatis, & ego contra argumentatus fuero, tunc ad argumenta mea etiã non respondebitis mihi in forma, negando, concedendo, aut distinguendo; sed dicetis ut alias *nescimus nolumus*, &c. Cum igitur in vobis iste pro ratione voluntas, miror vos simulare, quod desideretis intelligentiam de mea Persona, cum eam no-

litis habere, quandoquidem oblatam utroque modo possibili semper estis aspernati.

**E**Cce ita sapienter loquebatur Dominus meus in iudicio tantorum virorum! Quis non miretur super eius dictis sanctis? Sed Christus Dominus meus semper sic loquitur. Ego autem insipienter, & alij sapienter locuti sumus. O Christe emenda nos per sapientissimas tuas elocutiones & propositiones,

§. 143. *Neque dimitteis. v. 68.*

Quoniam quod minus est facere recufatis, vt asserente & probante me credatis, vel interrogante me respondeatis, o Principes, quid spei esse potest de dimissione me: si vel sole clarius ostendero, me Christum Filium Dei esse viventis: imo tunc minus dimittetis, quia hoc ipsum est causa invidia totius, & ex ea ortæ apprehensionis, inauditiæ tractationis malæ & condemnationis iniustæ, quia filius Dei sum, & dicor.

**O** Principes, Principes, non videtis quo loco & in quanto periculo firmiter utinam saperetis, & ipsum Deum, Dei filium, iam vobiscum existentem adoraretis, & spiritu & veritate. quantum bonum haberetis apud Deum & homines! quantum gaudium & gloriam! sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum: patientia vsque ad iudicium.

§. 44. *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. v. 69.*

Solent homines oppressi in humanis iudicijs iniuste, cum ex ijs aliter non possunt appellare, ad Dei supremum tribunal recurrere; vt pulcherrimis exemplis factum, efficaciter ostendit Drexelius in suo tribunali lib. 2. cap. 3. quod caput omnes hoc loco pernosse oportet; hoc igitur posito, video hic Christum Dominum in iudicio hominum extreme & pessime oppressum etiam appellare. Veruntamen cum dignitatis suæ & persone memori respectu. Non appellat ad Dei iudicium vt adiuuandus; sed vt Iudex confesturus, & vt præses futurus: Eo igitur citat suos modo iudices: nec dubium quin ibi apparebuut die & hora præfixis, quomodo & alijs eocitatis euenit, apud Drexelium relatis.

**T**U Domine Iesu clementissime, viuorum simul & mortuorum Angelorum quoque, dæmonum, hominum & totius mundi Iudex æquissime, ne intres in iudicium cum seruo tuo; ne uè extremū rigorem aduersum me exerceas: redeat tibi quæso in memoriã nostri te caula è cælo in terram descendisse, nostri te caula

Cruce affixum, & eadem mortuum, nostri te denique causa ad inferos usque penetrasse; post tot igitur labores; post tot arumnas, & molestias, ne nos perdas & abicias. Recordare Iesu pie, quod simus causa tua via; nec nos perdas illa die, quod ut non fiat, nunquam in iudicio hominem ullum opprimam, ne forte contra me ad tutum supremum tribunal appellet.

§. 145. Dixerunt ergo omnes ei: Tu ergo es filius Dei? v. 70.

Audientes principes, & totum concilium ipsum Iesum, loqui de virtute & sessione sua à dextris Dei, facile advertunt, eum insinuare, quod ipse sit filius Dei, quomodo enim à dextris Dei sedere præsumeret, nisi honorabilior vel æquè honoratus cum Deo? ut igitur speciem dent suis calumniis, quasi expressius dici poscunt, quod jam satis intellexerant omnes peccatores, quo deciditis, quando vos passionibus vestris sine mortificationis remedio permittitis!

O Iesu, verè tu es filius Dei, hoc ego credo ut & credam, & in hac fide mori desidero, ubi autem veneris à dextris patris in virtute Dei iudicare vivos & mortuos, memento mei, quia congregabuntur ante te omnes gentes, & illi ipsi, qui te nefariè judicarunt, videam te tunc securus sedentem in maiestate magna, in aëris medio super vallem Iosaphat, ubi ipsi montes contremiscent, & pavebunt, ut saccus cinericius intrepidus perstare possit: Tunc, ô dulcis animarum Redemptor, furorem exue, aut saltem minue, ut faciens, non in furore tuo, arguas me.

§. 146. Qui ait, vos dicitis quia ego sum. v. 70.

Quia vos Scribæ & Pharisei colligitis ex meis dictis, & factis, & asseveratis dicendo: Tu ergo es filius Dei? negare & ego non possum, quia ego sum, natura Dei filius! modesta, sed pulchra asseveratio; imò vox salutis, confessio sancta.

Christe Deus meus & omnia, te hodie & semper agnosco filium Dei unigenitum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt visibilia, invisibilia; & non alium Deum præter te. Tu iudex totius mundi constitutus, ac toti mundo imperans, fratribus, tuis ignosce; ignosce quæso hominibus; benigno eos oculo respice; eosque gloriæ tuæ visione locupletes redde; meque cum eis fac gaudere perpetim.

§. 147. At illi dixerunt; quid adhuc desideramus testimonium? v. 71.

Vides jam Christiane lector, animum eorum, qui antea a deo avidè

Q 3

quæ-

quærebant scire professionem Christi, de se ipso, qua eam intentione quæsierint, Denudatus est animus; velum scissum est, animus amarus, invidus, fallum diligens jam apparet. Si enim serio veritatem amassent, utique dixissent: & quomodo probas vel ostendis te Dei esse filium, ut credamus & congruenter honoremus. Nihil horum hic fit; sed præiudicio pessimo tota actio consuminatur, quasi dicerent. Non est iste vilis homo, filius Dei.

**D**omine lectu, patientiam habe, (uti habes) modò, postea tua causa melius defendetur; videbunt, in quem transfixerunt.

§. 148. *Ipsi enim audivimus de ore eius. v. 71.*

Quid audistis Iudæorum principes & populi seniores? quia Christus dixit filius Dei ego sum. Bene. Etsi audistis, cur non creditis probandi veritatem; fides enim ex auditu. Sed vos vultis capere Iesum in sermone malitiosè, ut mortis declareretur reus ante oculos hominum; & hoc & quod intus audistis, odio in ipsum efferati estis, & favore erga inimicum ejus capitalem pontificem Caipham, qui eum occidendum decreverat, ut mortuus non morderet amplius; unicum enim timebat quia ipsius & aliorum pontificum malitiam arguebat, ut emendarèt. Sic consilarii multi favent inordinate judici, & similiter multi Curialistæ principi assentiuntur, & sic Iudæi Caiphæ, respondere conantur, secundum quod sentiunt principum suorum affectum duci plus ad unam partem, quam ad aliam, sive iure, sive injuriis: hujus etiã generis sunt multi adulatorum extra curias principum & magnatum qui, volentes captare benevolentiam hominum; illis applaudunt & in omnibus consentiunt; etiam in manifestè malis; & tales bene figurantur per canes venientes ad mendicum Lazarum & lingentes uclera eius, sed non sanantes, magis autem innovantes, ne sub Christo sanentur.

Innocentissimus interim Dei filius, Deus ipse damnatur à Blaphemiis; ad judicatur morti fons vitæ veritas à mendacio, justitia ab iniquitate, pietas à blasphemia damnatur. Fontem vitæ mortis reum pronuntiant mortui. Mirare & obstupescere cœlum.

#### CAPUT XXIII.

§. 149. *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum v. 1.*

Quo furore? quo impetu? quo gaudio & clamore? quæ mens concipere, quæ lingua explicare, poterit: ut data est copia Iesum de duceudi, latellibus & tortoribus principum, irruunt in agnum lupi rapaces; in paulo

pastorem diri latrones, in patrem filii degeneres: in Deum peccatores; in  
 lum en verum filii tenebrarum, nihil vel ejus mansuetudine, vel deitatis ma-  
 jestate, vel miraculorum terriculamento permoti manus iniiciunt in eum:  
 occupant paratum teneri, trahunt volentem trahi, qui si vellet obui,  
 nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus possent. Hic itaque impletum  
 est, quod jam dudum David in persona Christi prædixerat: *Quoniam tri-  
 bulatio proxima est; & non est qui adiuvet: Circumdederunt me vituli multi, tauri  
 pingues, obsederunt me, aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens & rugiens, sicut  
 aqua effusus sum. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.*  
 Et quoniam non modo in memoria passionis Christi mentio habetur de  
 Pilato, verum etiam & in nostræ religionis symbolo, in quo legitur, quod  
 Christus passus est, Crucifixus, & sepultus, sub Pontio Pilato; Audire  
 iuvat, quis fuerit Pilatus, nimirum homo Ethnicus, in Iudæam à Tiberio  
 Imperatore missus, ut illic præsidem ageret; & Iudæis jus pronunciaret,  
 quo publicam inter se pacem servare possent: qui tamen quod ad reli-  
 gionem attinet, fuerit impius; attamen multis mundanis virtutibus pol-  
 lere visus est; qui nostris magistratibus apprime conveniunt, quas comme-  
 morabimus potissimum commendatur à mundana prudentia modera-  
 tione & iustitia; neque verode illa loqui iustitia intendo, quæ per fidem  
 vivam, coram Deo inchoatur, nam cum homo Ethnicus fuerit, palam  
 est, quod ea caruit; sed de iustitia forensi verba facimus, quæ in cunctis  
 actionibus publicis moderatione adfert ex lumine naturæ dictantis, quid  
 deceat, quæque tam Ethnicis iudicibus, quam Christianis maxime con-  
 venit. Exemplum de prudentia ejus sæculari hoc audi. Cum provin-  
 ciam Iudæorum administrandam suscepisset; & imagines Cæsarum in ea  
 habere teneretur; eas nocte intempesta in urbem intulit, postea publicè  
 prospiciendas. at ubi dies illuxit, Iudæi modis omnibus obstiterunt,  
 multis quoque precibus contenderunt ut Pilatus imagines tolleret &  
 ab urbe ahottansferreret, cum id esset contra Mosaicæ legis, uti ipsi opi-  
 nabantur decretum. Ex adverso Pilatus Iudæis multum restitit, affir-  
 mans, se majorem Imperatoris & Majestatis rationem habere, quam  
 legis Iudæorum. Cum autem constanter repugnarent Iudæi, civita-  
 tem suo exercitu circumdedit, quo invitati Iudæi per imagines Cæsarum  
 susciperent obedientiæ professionem, quos tamen ubi vidit esse tam  
 constanti animo, ut morti præficerent quam peccare in legem Moyfi  
 & jam nudatas cervices, excipiendis gladiatorum ictibus porrigere, ne  
 ipsis viventibus lex Moyfi infringereetur: ipse gentis Iudæicæ con-  
 stantiam admiratus, tollere imagines, & eos dimittere illæsos maluit,  
 quam

quam ultra progredi; ne quid crudelitatis & sævitæ in religionem eorum committeret. Quod autem homo maximè cum moderatationis tum iustitiæ fuerit, per passionis intervalla satis superque constabit. Nam etiam homines magis quam Deum timuerit; ideoque ne odia eorum suscitaret in se & vitæ pericula subiret, injustam adversus Christum sententiam eulert; attamen virtutes benignissimi Iesu sæpè & est admiratus ipse, & prædicavit, & tutari intendit. Legitur sane quod de miraculis per Christum editis, de suscepta patienter cruce, de pronuntiata die tertio resurrectione, multa ad Imperatorem Tiberium scripsit; postquam autem annis decem Iudeorum provinciam administravit; tandem in multis accusatus Romam reperivit; ubi se videns multis calamitatibus oppressum, cupiens mortis celeritate graviora effugere tormenta se propria manu interfecit. Atque iste fuit finis & exitus hujus præsidis.

**P**rotector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut rector, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna, non incidamus in tales angustias, in quales devenit iste miser, foris felix apparens, Pilatus.

*§. 150. Cæperunt autem illum accusare. v. 2.*

Præsentantes autem Iesum Iudæi conspectui Pilati prædicti, manibus ligatis & catena ferrea, in collo posita (in cuius typum sacerdotum modo collo apponunt stolam: uti moris erat, quoties quis ab Ecclesiastico tribunali, deducebatur ad sæculare) accusare cæperunt illum de tribus maxime criminibus, 1. quod peccasset graviter contra populum, 2. gravius contra Cæsarem, 3. gravissimè contra Deum. Sed quomodo illa probabant? postea videbimus; nullo. O quoties idem adhuc fit hodie apud homines, ut noceant proximo excogitant & proloquuntur, quæ probare non possunt; non considerantes quod obligentur ad restitutionem honoris ablati, si volumus ut dimittatur peccatum: ego hic me merito pudore & verecundia suffundor, qui fortè in similibus reum me deprehendo.

**I**gnosce o Deus, ignosce Deus; constringe bone Iesu, constringe cor meum vinculis & tui, & proximi amoris, ut nunquam verbum loquar vel contra proximum agitatus, ut Iudæi isti invidiæ vel odii stimulis

*§. 151. dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram. v. 2.*

Cum in genere eum accusare non sufficeret apud Præsidera prudentem, uti ostendi, bene & merito venerunt ad particularia omnia, quæ Deum, religionem & statum vel publicam pacem & tranquillitatem concernent, dicentes.

discentes, Invenimus hunc subvertentem gentem nostram: quod imprimis tantum aberat, ut potius gentem ad Deum converteret, non solum suis monitis docens; sed & exemplo edificans in omnibus se legis observatissimum ostendens, unde & ipse dicebat, non veni solvere legem sed adimplere omnes ad penitentiam & virtutis studium excitavit omnibus benefaciens corpore & animo; quod si nomine subvertentis gentem, seditiosum hominem intelligant, impudentissimum hoc erat mendacium, cum Christus nullam unquam seditionem excitasset, quin præceperat inimicos diligere, pacem & fraternam charitatem colere, magistratui legitimo prædicavit non esse contradicendum; imo interpellatus à duobus fratribus de dividenda hereditate, noluit falcem mittere in messem alienam Iudicium secularium, & erat tum temporis tota provincia illa maxime quieta, & tranquilla.

Quis autem non indignissime ferat, sua benefacta à calumniatoribus malitiose depravari? de hujus doloris indignitate conqueritur plalmista, invidum hominem sic alloquens: *Quid gloriaris in malitia? cur linguam tuam acuis, ut sicut novacula acuta dolum faciat: & quid est acutius novacula recenter præparata? attamen multo vivacius penetrant calumniatoris verba: nam novacula tantum superflua, vel faciei, vel capitis radit: veram famam, hominis cunctis opibus longè meliorem & spirituale bonum detradunt verba detractorum.*

O Innocentissime. Iesu quam patienter illas injurias & tormenta sustinuit propter peccata mea! & quid ego pro amore tuo patienter fero? quam in omni vel minima occasione sum impatiens! da veniam, & emendandi gratiam ad animæ meæ salutem & gloriam tuam,

§. 152. *Et prohibentem tributa dari Cæsari. v. 2.*

Et hoc falsum erat, & cognitum ipsi Iudici Pilato perbene; ipse enim ut credibile est, cum Herodianis suos miserat olim à Christo percunctaturos; an liceret tributa dare Cæsari, an non? Et Christus responderat viso numismate census, *Reddite, quæ sunt Cæsari, Cæsari, & requisitus ab exactoribus tributum; id est solvere didrachma non solum pro se, sed & pro Petro, secundario capite familiæ, solum adhuc designato, integerrime Cæsari solui præcepit: nihil enim Christus a deo aut verbis docuit, aut re ipsa ostendit; quam pacem, etsi vere ille ad tributum dandum non tenebatur, utpote Deus & Dominus ipsorum Dominorum & Regum, & Imperatorum; nunquam etiam in toto Evangelii decursu reperietur eum prohibuisse dare tributa principibus, sed aperte potius docuisse. Habetis igitur Iesum, justum filium Dei, si aliud non habetis,*

P

Beng



**B**Ene video, iste in se suscepit omnium hominum peccata, qui hoc sepe fecerunt de quo ipse falsò inculatur. Ah. quoties ego non dedi honorem, quibus debui, vel aliud obsequium neglexi! quoties etiam innocens videri volui; & me excusare quæsi vi aliam in nullius momenti rebus & non sine mendaciunculis! sed nunc, ô Domine, protestor, tuo nunc motus exemplo, me velle unicuique dare quod suum est; tacere ad injurias privatas, & tibi soli commendatû quicquid mihi ut privato accidere poterit. Tu ergo Domine, mi Iesu unicum refugium animæ meæ, qui coram Pilato de multis falsis accusari voluisti testimoniis: custodi me à fallacis iniquorum, & da mihi Christianam fidem non fallaciter, sed cum bonis veraciter profiteri, & semper in omni patientia possidere animam meam.

§. 153. Et dicentem, se Christum Regem esse. v. 2.

Et hæc erat tertia accusatio, quæ ex aliis deducebatur: dicebant enim *invenimus eum*: Ab aliis, nos non audivimus, sed ipsi oculati testes sumus & propriis auribus percepimus, eum se venditasse Christum. Iste Christus autem, quem Judæi imaginabantur falsò, erat futurus, uti alii Reges terreni, pervadentes urbes & provincias vastantes, & pecunias colligentes; & hinc est factû quod in calumniæ loco posuerunt Regium nomen; quod tamen à Christo non expetebatur, imò reiiciebatur in illo sensu Iudæorum ut potè tyrannicam, non rationabili, nec humana: erat igitur Rex quidem, & hoc non negabat, sed *Rex spiritualis, Rex virtutum, Rex gloriæ, & gratiæ*; hoc non erat contrarium Romano Imperio; sed utile & honorificum. Tales multos; imò omnes oportebat esses Reges & Imperium Romanum totum.

**O** Invidia? quomodo tu nosti palliare, accusationis tuæ (ut noceras) nomina! quomodo potes ea ad gustum torquere! tu Deus, per invidiam accusare, mentibus nostris, quæ sumus, bonitatis divinæ lumen infunde, ut omni procul illusione & nequitia sentota, sincero cunctos affectu prosequamur, & opprobria exprobandium perferentes inter filios tuos computari mereamur.

§. 154. Pilatus autem interrogavit eum, dicens. v. 3.

Audiens Pilatus, Regni Iudæorum præses, ab Imperatore Tiberio constitutus, ad tranquillitatem & pacem conservandam in provincia, Christum se Regem appellasse & quidem, uti Regni Iudaici, ab his qui essent de genere Iudæorum appetitorem accusari turbatus est timens, ne quid Imperatori suo præjudiciosum in rebellis gentis lateret, & regno occupato à Iudæis ipse expelleretur, & antedicti Imperatoris iram incurseret.

ret, quod curam sufficientem non habuisset provincie sibi commissae: ideo audita accusatione triplici Iudaeorum adversus se sum, ipse Pilatus de prima parte accusationis parum curavit, eo quod gentilis esset, & parum curabat legem Moysis & Iudaeorum caeremonias, de secunda similiter non curavit, quia sciebat jam eam simpliciter falsam esse, & examinatione indignam ex certa scientia, quod Iesus alias per suos submissos tentatus acutè satis non prohibuerat dare censum Caesari, imò iusserit: de tertia ergo accusatione solum curavit, eo quod videbatur, vitæraliter tangere honorem Imperatoris Romani; & ideo omisiss duabus primis accusationibus, tantum instat & interrogat Christum de tertia, qua penetrata facile aliz omnes penetrarentur, quia ubi regni injusta est affectatio, ibi nulla solet esse abominatio ullius sceleris: quia regnum est maximum apud homines præmium, fecit igitur Pilatus sicut bonus causidicus & Iudex, nolens condemnare Iesum, nisi prius auditum & Confessum, qua confessione facta, posset formare sententiam & informare Imperatorem cuius maxime intererat curam habere, ne alius rex eleveretur in Iudæa, quæ per Sulpitium Quirinium sive Græce Cytium erat in fiscum Caesaris ante aliquot annos ab Augusto Caesare redacta, uti narrat Iosephus, Tacitus & Cassius.

Istud considerans, oro te Domine Iudex universorum, pro omnibus causidicis, Notariis, Tabellionibus, Procuratoribus, Advocatis, Iudicibus, præpositis, commissariis, & omnibus qui rem publicam vel communitatem aliquam gubernant, vel iudicant, ut desillis imitari, hunc licet Ethnicum Iudicem, Pilatum; ut nunquam ex auditione solius unius partis, vel præiudicio auctoritatis eorum qui accusant, non audita parte altera, vel non citata iudicent, sed iustitiam tenaciter observent cum magna cautela & prudentia.

§. 155. Tu es Rex Iudaeorum v. 3.

Iam dixi quare Pilatus hoc unum quæsierit, & vide quam clare & apertè quærat, & quanta brevitate! poterat dixisse: tunc ad diadema regium adspiras in hac provincia obtinendum? & quo titulo? sed omissa loquacitate, quæ prudentes non decet, breviter totam rem ponit; & Christus Dominus majori adhuc brevitate respondet.

Domine obsecro. sum semper brevis, & clari sermonis; quia in multiloquio non deerit peccatum vel iudicii deficientis, vel alterius virtutis.

§. 156. At, ille respondens, ait, Tu dicis. v. 3.

De hac loquendi formula dixi ad passionem Domini secundum

P 2

Mat.

Marthæum ad c. 26. v. 25. Quomodo autem Pilatus tam facile & bene acquieverit defensionem Domini quo ad regium nomen & sumptum de hoc accusationem pulchrè in S. Ioannis narratione patebit, quo illud remitto.

§. 157. *Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas v. 4.*

Ingenuam confessionem excepit præsidis æquitas, iudicans hoc regnum quod ita ingenuè confiteretur professor eius nihil obfuturum Augusto, cum nemo male agens, quod aliis nociturum sit, tam facile confiteatur maximè iudici.

**D**Eus meus video, quod magnum sit bonum candor & ingenuitas: illa transit angustias plurimas, ante quas hæret vafrices & duplicatas, volo igitur & ego ei impensè studere, simpliciter agere & loqui. Tu per candoris tui meritum, da mihi virtutis tam insignis exercitium & habitum,

§. 158. *Nihil inuenio causa in hoc homine. v. 4.*

In omnibus illis, in quibus eum accusatis, ô principes, siue aspiciam populi subversionem, siue Cælaris tributum, siue quod se regè Iudæorum dixerit, non inuenio aliquid plectendum in ipso jam examinato. Imo laudandum, quia miseris succurrit, imperitos docuit legem, & bonos mores, ægros sanavit, sacerdotibus suum jus tribuit, Imperatorum tributum accuratè solvit & pependit ipse, ac suos iussit dare, & cum sit Regum, quondam ex gente vestra creatorum filius, nihil contra tamen contra statum vestrum vel Rom. Imperium molitus est.

**Q**uis mihi dabit, ut dicatur de me quoque in die iudicii, quando stabo ante te, Deus meus, iudex iuste, tremens & expectans sententiam extremam vitæ vel mortis, cumque adversum me stabunt cæli & terra, ignis & aqua, & omnes creaturæ cum quibus & per quas ego miser peccator heu nimis peccavi, ut dicatur, inquam tunc mihi, *Nihil inuenio causa in hoc homine*, quia pœnitentia, delevit culpam. O me tunc bectum! ô felicissimum! itaque nunc iuste iudex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis, ingemisco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce Deus.

§. 159. *At illi invalescebant, dicentes. v. 5.*

Commune est omni superbo & peccatori, invidiæ vel odii stimulis agitato, si vel minima injustitia, superbia, invidia tanguntur, moveri, stormachari, clamare, cōqueri, quasi sibi nulla fieret justitia. Id plane his Iudæis contigit audientibus à Pilato, Christum ab eis male accusatum, & delatum esse

esse sibi, & innocentem reperiiti, dilecebantur cordibus, & attollentes vocem clamare cœperunt, clamoribusque innalescebant. Metuebant enim, ne audiente populo de Christi innocentia per Pilatum Præsidentem prolata, tumultuaretur, & Dominum saluaret de manibus suis & Præsidis. Tam ergo ardens erat Pontificum & Sacerdotum Christi interimendi cupiditas, odij rabies, & zelus, ut æquior in eum esset Pilatus alienigena, quam Iudæi, & homo profanus magis, quam Sacerdotes.

**O** sæuum imperium passionum! ô Tyrannis! quantum tu mali facis in hominum cordibus, in præsentem vsque diem! silentio hic opus est, & lachrymis, non verbis, quæ nihil profunt.

§. 160. *Commouet populum docens per vniuersam Iudaam, à Galilæa, vsque hac. v. 5.*

Audiamus, quomodo passionati Iudæi accusationis suæ capita probent, Pilato iudici, non agnoscenti culpam in Christo. Ecce primum articulum suum probant variata phrasi; dixerat; subuerte eum gentem suam, Probant, commouet populum, incipiens à Galilæa vsque huc. Hoc est probatio articuli primi.

**O** Vecordia! passionati vos Pontifices, est hoc sapere? est hoc esse sanctum? pudeat vos talium probationum. Vere fatemini factis, quod dixit Pilatus verbis, non inuenimus causam in eo.

§. 161. *Pilatus autem audiens, Galilæam interrogauit, si Galilæus esset. v. 6.*

Bene aduertebat Pilatus ex his, quod sibi negotium esset cum furentibus passionum suarum amaritudine, contra optimum hominem, propter iustitiam, quodque in probandis accusationis suæ capitibus deficerent, variando solum phrasès, & has loco probationis instar sepiæ atrorem, offundendo. Ergo ex his impetuosis & dementaris capitibus; eriperet, consilium hoc inuit, ut eum, si à Galilæa incepisset, in Galilæam iudicandum remitteret, & ibi, tanquam in principio actionis eius, siue bona, siue mala ea fuerit, melius ex circumstantijs & testibus auditis cognosceretur: quia multa vis actionum humanarum est communiter in earum initio, tanquam in semine, vnde tota series sequens excresecat, ita ut facile totam seriem sequentium penetret, qui initia bene cognouit.

**P**ilate, iudex & præles adhuc æquissime, ego te laudo, quod tam prudenter procedas. Si ita perseueres, beatus eris. Ego precor Dominum quem

tu iudicabas, ut me tuam prudentiam, hactenus exhibitam faciat imitari, in quaestionibus litigiosis & compositionibus, nempe ad initium rei terminando penetrare, & de hoc bene se informare.

§. 162. Et ut cognovis, quia de Herodis potestate erat, remisit eum ad Herodem. v. 7.

Aliam simul virtutem, cum prudentia dicta, noto hic in Pilato Romano. Nimirum quod Pilatus nolit dilatare fimbrias suas, seu iurisdictionem suam auidè extendere, habebat hominem suo tribunali oblatum in sua diocesi, poterat eum iudicare ad tribunal suum Caesarium, quod usque Ierosolymam grassatus diceretur Christus. Quid facit Pilatus? cupit eum ab alio potius iudicari; dimittit causam libenter alio quo iure remittere potest, non trahit ad se, quam poterat ad se trahere. Imo remittit ad Herodem Regem, minorem se, & inimicum suum, & differentem religione & sanguine.

Domine miror magis & magis hunc Romanum Iudicem, nec miror iam quod, si tales Romani sunt, Dominus orbis ipsius terræ imperium primo politicum, & postea multo maius Ecclesiasticum, supremum in orbe terrarum, Benedico te Pater cœli & terræ, quia ut tibi placuit, ita fecisti reuera dona magna Romanis dedisti præ cunctis nationibus adhuc hodie in eis elucent, quando sincero corde aliquis attendit. Non dico quod nemo Romanus sit, quin sit Sanctus. Non dico hoc: sed quot meliores Romanos, cum melioribus aliarum gentium componendo inuenio superare Romanos. Esto quod deteriores Romani forte superent deteriores aliarum gentium personas. Sed queramus bonos, omittamus malos,

§. 163. Qui & ipse Hierosolymis erat istis diebus. v. 7.

Hic Herodes Antipas cum esset Iudæus ex parte matris; nam Pater suus fecerat se circumcidi, ut posset contrahere iam dicta matre sua Iudæa; ideo reputans se Iudæum, venerat in Hierusalem ad Pascha, cum Christus istic pati voluit, forè & alijs de causis eodem aduenerat, uti solet fieri ad nundinas & panegyros & comitia magna populorum: vel, ut videre posset Iudaicam ex omni natione gentem, quæ tum eo conuenerat, diuersos nationum habitus & gestus, & mores, mercimonia variarum Provinciarum perferutari & intelligere, curiositate quadam regali. Sed iste aduentus reuera fuit Herodi infauus; quia ea occasione adhibitus est ad tragæ-

diam omnium maximam mundi; vt in ea suam quoque ageret personam, vti & pessimo fecit exemplo, & suo malo.

**O** Deus conferua me, ne vnquam accedam ad loca etiam sancta nisi sancta & bona intentione, & si in eis prauides me lapsurum: impedit dignate meum in talia accessum.

§. 164. *Herodes autem viso Iesu gausus est valde. v. 8.*

Gausus est, non eo gaudio quo Abraham & reliqui SS. Patriarchæ, qui diem eius videre expetierant: sed curiositate & cupiditate videndi miraculi, quo putabat se à Christo, tanquam circumforaneo mimo, aut circulatorè cohonestandum, vt liber dimitteretur: gaudebat insuper: & eum honorem sibi delatum à Pilato, cum quo dissidebat: sed melius optasset videre Iesum sicut Zachæus.

**O** quam multi similes sunt Herodi! quorum studium non est discere aliquid ad salutem: sed videre & audire multa curiosa. Hi etiam quandoque conciones adeunt: sed vt audiant, non vt animo interant: & proficiant: ex curiositate volunt explorare ingenium & doctrinam, siue eloquentiam concionatoris: cuius forte fama eos ad audiendum allexit. Videant, qui tales sunt, ne & ipsi, vti Herodes, in vanum, imo damnum suum viderint & audierint Christum.

§. 165. *Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum. v. 8.*

Quare? certe non ex deuotione: sed titillatione quadam: nam ipse erat, quem Pater suus Herodes inter pueros in Bethlehem interemptum iuerat, simulans se velle adorare: idem ipse hic erat, qui Ioannem Baptistam, reprehensorem adulteri eius, donauerat occidendum scorti suæ filiz saltatici: erat etiam, cui retulerant sui aulici quod multa faceret miracula, quod nunciura satis nequiter irriserat: erat denique is, de quo Christus dixerat, quod esset *vulpes*. Sciebat igitur nomen Christi, & non pauca de illa: sed, propter grauitatem Regalem, nunquam eum, vt videret: accesserat: quia maiores sæculi non inuisunt eos: quos minores reputant, sed visitari expectant: quod tunc impetrauit Herodes: sed malo suo satis magno.

**D**omine, egote vnice, & cum desiderio filiali desidero videre, hic & perpetuum: hic in ænigmate per fidem, illic in maiestate & gloria facie ad faciem per claritatem. Sicut Domine anima mea ad te Deum meum fontem viuum; quando veniam & apparebo ante faciem tuam? &  
fons

fons vitæ, vena aquarum viventium quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta, in via, & iniquosa ut videam virtutem tuam & gloriam tuam, & satiet ex aquis misericordiar tuar. Sitio Domine, fons vitæ es, satia me, sitio, Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam & apparebo Domine ante faciem tuam.

§. 166. Eo quod audierat multa de eo. v. 8.

Ibi causam habes, quam Herodes in libenter viuendo Domino habebat, quid autem audiisset iam ante insinuauit. Sed quid est hoc? Propterea velle videre aliquem, quod multa de illo audieris? Quantum sapio & quantum capio, malum motiuum est ad videndum; quia motiuum bonum debet tendere in aliquem finem adhuc obtinendum; Audiisse autem multa de aliquo iam obtentum est in præterito tempore, in hoc vti futurum adhuc non potest tendi, vti prudentes homines solent intendere. Si Herodes iste volens videre Dominum intendisset auditionem suam perficere visione vti Regina Austri in videndo Salomone, bene intendisset, iam quid dicam melius nescio, quam quod Christus de eodem dixit, Vulpes est.

Domine, qui viam virtutis & veritatis derelinquunt; quidquid agunt, impingunt; gloriam quærunt, & ignominiam inueniunt; sperant voluptatem & metuunt dolorem. Nolo imposturam viam illorum, nolo consilium, nolo cathedras, melius tecum mihi erit IESV.

§. 167. Et sperabat signum aliquod videre, ab eo. v. 8.

Antea vanum erat in Herode motiuum, nunc etiam viciosum de promptum è pœnu curiosorum; adeo, ut dicat Egesippus, quod Herodes iurauit Christo per coronam suam, quod eriperet eum de manu Iudæorum, faceretque eum Hæredem regni sui, si modo vellet coram eo facere aliquod miraculum, quia multum curiosus erat. Vnde etiam euenit in casu contrario, quo signum nullum fecit, quod contrarium regalis dignitatis ludibrium imposuerit Christo tanquam homini, qui non saperet, nec ageret quod posset, cum ei spes regni tam clare proponeretur.

O Deus arce à me obsecro & populo tuo curiositatem, quia multi per eam perierunt & inciderunt in ea, ad quæ missis impertinentibus libi attendere debuissent, & cauere, vti iste, qui cælum speculans incidit in puteum.

§. 168. Intec-

## §. 168. Interrogabat autem eum multis sermonibus. v. 9.

Certe valde serium fuit Herodi videre miraculum, pro quo emendicando adeo, deposita regali maiestate garriebat. Sed non obtinuit percussor S. Iohannis, & adulter, & mali corui malum ouum, suum curiosum intentum.

Domine cum me considero, video quod in tali occasione honoris obtinendi & gratiæ fecissem, quidquid potuissem; sed & video aliud esse tuum iudicium, quam meum. Cum igitur tu sis vera sapientia; ecce abijcio meum iudicium & affectum & probo tuum; Nolo hominibus placere vt tuus seruus esse queam cum Apostolo ruo.

## §. 169. At ipse nihil illi respondebat. v. 9.

Stultæ & risu dignæ interrogaciones responsum non merebantur, quia neque signis, neque verbis Christi futurus fuisset melior Herodes, qui non profectum quærebat; sed nouitatem & vanitatem sectabatur; vt Nero in nouo Icaro & alij in circulatoribus; cuius & manus sanguine iusti Iohannis, à se occisi, plenz erant.

DA & mihi ô Domine, hanc prudentiam; vt & tempore & loco, sileam & loquar, loquar autem tantum vbi eloquium tuum diuinum pijs atque attentas aures inuenit: & silentio inuoluam, quod non ædificat; ne verbis meis maleuolum quempiam ad malum prouocem, aut silentio pijs scandalum patem.

## §. 170. Stabant autem Principes Sacerdotum &amp; Scriba. v. 10.

Stabant oblitici ex passionibus & impetu animorum suorum decori, quod attendere debuissent; & ideo etiam Herodes eos stare permisit; qui alias confidere debuissent, etiam coram Rege, maxime extraneo, ipsorum Principum sacerdotum.

Domine Deus iuste permittis contemptum in sacerdotibus & Magistratibus, quando ipsi deserunt officium suum honoris & gloriæ plenum; ne permittas obsecro in seruis tuis indignitatem hanc, ne incurrant in illam alteram, honorent vt honorentur ab alijs quia tu glorificantes te glorificas, & in SS. tuorum honoribus honoraris.

## §. 171. Constanter accusantes eum. v. 10.

Continue, pertinaciter, acriter, intento & mixto clamore pergebant  
accu-



accusare ægrè ferentes Herodem alienis quæstionibus tempus terere; sed de quibus eum accusabant malitiosi isti Principes, licet S. Lucas nihil dicat; tamen aliqui conijciunt, quod accusabant eum dicentes; Quod ipse esset pater tronis Ioannis Baptiste occisi; cumque coram populo extulisset in celum & canorasset: quodque ex Gallilæa homines, ad Romanorum territorium, in Iudæam lapsus & multum abduxisset; & sic regnum Herodis diminuisset, etiam ab officinis & labore homines ad ambulatoriam mendicatio viuendi formam adduxisset &c.

**E**la Domine, largire mihi hanc gratiam, vt patienter feram, si mihi calumniæ, notoriæ falsæ, obueniant, siue ab hominibus contemnari, siue propuero vel minimo habear; semper sub tua profundissima humilitate tales æquo animo accipiam: si enim me ipsum ita perdidero inter homines propter te; certus ero, quod & in te me ipsum perpetuo inuentum, Amen.

§. 172. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo. v. 11.

Ex quadam indignatione animi, & furore turbatus, quod sibi respondere noller, coram tot proceribus astantibus & Pontificibus ad interrogata sua: & ne verbum quidem proloqui quo silentio turpiter se victum indignabatur Herodes, vnde spreuit eum à quo sperni videbatur: habens eum tanquam fatuum, qui vitam suam negligeret; qui Regi eum eripere cupienti: nullum honorem haberet cum exercitu; id est parte copiarum; quas metu Pilati Hierosolymam conduxerat: aut cum omni comitatu satellitum & aulicorum: qui solent mores Principis imitari, qui ei obiecebant, Christum nihil scire, nihil posse: mendacem esse, ventilatorem, hominem simplicem, fatuum; fabri filium: & quidem ex Nazareth, Regem imaginarium, Philosophum non re ipsa: indoctum illusorem, impostorem, ex dæmonis virtute operantem: & nisi hoc esset, vti que operaretur quid signi in consessu Regiæ suæ maiestatis & Pontificum & totius aulae procerum,

§. 173. Et illudit. v. 12.

Coniitijs, probris, varijs modis scenicis, vexationibus, scommatibus, quantum in exercitu toto, vbi plurimi scurræ & ardeliones, nihil illudionum ignorantes, solent reperiri, fuit inuentum,

**P**le & exorabilis Deus, imploro pietatem tuam, per virtutem humilitatis tuæ & silentij huius admirabilis: repelle à me omnem cupiditatem honoris mundi, omnem elationem & ostentationem: arrogantiæ & præ-

præsumptionem, proteruiam & contumaciam: procacitatem & tumorem; contentionem & inobedientiam; calliditatem & simulationem: omnes fastus superbiæ; appetentias inanis gloriæ; non sit Domine, neque videri possit vllum tantum malum; tantæque perditionis signum in seruo tuo; neque in moribus meis, neque in verbis meis, neque in cogitationibus meis. Da mihi bona tua quæ tibi placent in veritate eum tanta etiam profunda humilitate, vt nullus in me pateat locus inimicorum insidijs, & præsta vt sim paruulus in oculis meis, quatenus plenam gratiam inueniam in oculis tuæ maiestatis.

§. 174. *Indutum veste alba. v. II.*

Textura vel falso argento splendenti, sed attrita ex ædium forte ferutis extracta & verusta ac læcera. composita ad ludibrium more comædoram, ridicula, vt esset pro aulico morione à cunctis habendus atque exhibendus. Heu mihi hunc contemptum indignissimum: considera paulisper, ò Christicola, quomodo ille, qui est verbum, quod procedit ab ore altissimi; qui est vnicus Dei patris filius, à cunctis fuit irritus, illulus, spreus qui venerat omnium misereri. Sed in hac irrisione aliquid longe diuersum occultabatur, quod nesciebant Iudæi: etenim Christus fuit veste alba donatus ab aula Herodis in testimonium innocentis vitæ: in aula Pilati veste coccinea vel purpurea in testimonium Regiæ potestatis, à Principibus sacerdotum & satellitio eorum funibus & catenis in signum peccatoris: ab illis in nocte velo, in signum Prophetæ, per Angelum in horto, calice passionis: & sic collegit Christus Dominus & meruit mundum & ornatum omnem, quo hodie sui ministri, sacerdotes dico, vtuntur in sacris, siue ministerio Domini, seu liturgia.

Quid agis Herodes cum tuo scelerato exercitu: quem præ manibus vos habere existimatis: an aliquem Nabal, qui secundum nomen suum stultus sit: an quemlibet & è triuio, qui ignorare, errare, vel peccare possit vt cæteri? toto cælo fallimini; tamen vobis videamini sapientes; Dominus ac Deus vester est, in cuius manibus vita, mors; qui solo nutu gubernat omnia. *Hæcine reddis Domino popule stulte & insipiens! nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te & fecit & creauit te.* Vere stulti facti sunt Principes Tancos (hoc est motus & tumultus istius) & sapientes ac consiliarij Herodis dederunt consilium insipiens. *Propter hos audite verbum Domini: Viri illusores, flagellum mundans cum transferit,*

Q 2

eritis

eritis in conculcationem, sed sola vexatio intellectum dabit. Attamen quid egistis? factum vestrum, factique rationem lubet penitus indagare. Non dubitatis, quin aurum ex luto vestro, qui Christum aspersistis, queamus eruere. Ecce vestis illa illusoria facta est per Christi patientiam, vestis decora & honoris plena. Ista in sacris Christianis habet maiestatem miram. Reges & Principes ea vtuntur ad gloriam sacram; imo cum Deum Patrem depingimus in ea, eum producimus decorum. Salue ò vestis honorata, olim probrosa; nunc gloriosa &c.

§. 175. Et remisit ad Pilatum. v. 11.

Quomodo: vinctum, neque damnatum sed neq; absolutum. In hoc ciuilitas Herodis ludæorum impietatem tacite damnabat, qui Iesum pessime criminatum tamen morte damnare non potuit, sed vt fatuum haberi posse, qui nequaquam, vt nec pueri, suppliciorum ciuilium sunt capaces. Non potest tamen Herodes iste excusari, quod eum adeo infatiam sine causa fecerit, & subditum suum nouis denuo. capiendum tormentis ad Pilatum remisit eique contumeliam intulerit, non solum domi suæ, sed & dum per vicos & plateas duceretur omnibus derisui ac ludibrio exposuerit, sane fertur à prætorio Pilati ad Herodis palatium fuisse iter trecentorum quinquaginta gressuum, siue 755. pedum: incertum tamen an eadem via reductus, an alia longiore quo magis innotesceret eius captiuitas, & plures ad eius extorquendam condemnationem ex eius hostibus corrogarentur.

**O** Iniquum & obtusum Herodem, filius Dei, sapientia illa increata, qui vniuersam mundi machinam creauit & moderatur, in quo omnes scientiarum & præscientiarum Thesauri absconditi sunt, in quo diuina prouidentia habitat, ab Herode eiusque Aulicis instar fatui, hebetis & stulti habitus fuit, & instar stolidi delusus. O quam magna & sancta persona sub stulti habitu tunc latebat.

§. 176. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus ipsa die nam antea erant inimici ad inuicem. v. 12.

Huius quidem discordiæ duplex erat causa; prima quidem fuit communis hominum miseria, quod semper potentes vicini æmulentur & sibi inuicem sunt suspecti: vbi enim eminentia, ibi inuidencia. Altera causa inimicitiarum erat specialis inter Herodem & Pilatum; nimirum, quod Pilatus turbaret jurisdictionem Herodis, multos captiens, <sup>incarcerans</sup>

capiens, incarcerans, puniens & occidens de jurisdictione Herodis; sicut signanter patet de Iuda vel Theoda, quodam Galilæo, qui multos, nescio quales homines secum animaverat, quasi faciens se principem Iudæorum, dicens omnino esse Iudæis illicitum recognoscere pro Domino superiore hominem idololatram & paganum, cuiusmodi erat Imperator Romanus. Multi ergo consenserunt ei in tantum, quod prohibeant oblationes fieri pro salute Romani imperii. Hoc igitur audiens Pilatus totus indignatur & furibundus venit repente cum multitudine Romanorum militum ad montem Garizim, & invenit eos ibi sacrificantes Deo cæli, quos in eodem loco interfecit in tantum, quod sanguis interfectorum fuit mixtus cum sanguine sacrificiorum; uti insinuat in Evangelio.

**O** Domine, Dominus noster, quam admirabile & nomen tuum in universa terra tibi inferitur ignominia & injuria, sed pacem & unitatem tu refundis. Nunquid malum pro malo reddidisti? Nequaquam. Sed bona pro malo, ut legem charitatis perfecte adimpleres. Da mihi Domine hoc tuum exemplum imitari; ut filius inveniat patris cælestis, qui solem suum ortiri facit super bonos & malos: & æqui bonique consulam, si quid à malignis mihi inferatur, & precer illis felicissima quæque pro malo mihi allato, si opere ipso in bonum vertere nequeam. Largire Domine ut in omnibus tecum unum sim, quo non frustra pro me passus sis, sed in omnibus passionis tuæ documentum habeam; ut intelligam quomodo in doloribus & miseriis me gerere debeam. Amen.

§. 17.7. *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe. v. 13.*

Iam Christus cum debitis circumstantiis & indebitis erat restitutus Pilati iudicio, & ipsi iterum caput incumbere onus defendendæ innocentia, contra invidiosos. Quid igitur facit? ut Christi innocentiam in omnibus ijs, in quibus accusatus fuerat, palam omni populo faceret; simulque ab iis peteret alia, si quæ haberent, argumenta, contra Iesum edicerent in tempore; dicit se *constituisse eum*, tanquam male accusatum, & non inventum reum, in omnibus, quæ de ipso dicta fuerant absolvere & dimittere; ea propter convocasse non solum Principes sacerdotum; qui erant de statu Ecclesiastico, sed & Magistratum, qui erat politicus, in super & plebe hoc est cives Hierosolymorum, cuiuscumque status vel conditionis, ut veniret, audirent, intelligerent, scirentque Iesum Christum innocentem inventum in omnibus accusationibus, non solum eorum se Iudice, sed & Rege Herode, postquam non modo intra & seorsim, sed palam & publice est examinatus.

**V**Tinam & Christiani gubernatores & iudices in hoc imitentur presidem, hunc Pilatum; ut non suo iudicio particulari ita firmiter inhaerent, ut nocentem saepe dimittant corrupti, aut innocentem damnent ex odio; sed convocarent Magistratus, & si opus est plebem; quorum & consilio & auxilio uterentur, ne quod horrendum est, reum damnent ad mortem, qui saepe, saepius de crimine alienissimus est; & hanc mihi in particulari gratiam concedi unice peto à te, iuste iudex cordium, & Deus meus, ne iudicio iniquo publicè vel privatim damnem innoxium.

§. 178. Dixit ad illos obtulistis mihi hunc hominem quasi averentem populum v. 14.

Quasi diceret: ego, non invenio veritatem accusationis, etiam postquam rigide examinatus à me, & ipso Herode Tetracha non enim averitisse populum à lege, sed convertisse ad legem: non averitisse à recta ratione, sed ad rationem fidei & virtutum omnium, tam externarum quam internarum non venisse solvere legem, sed adimplere, uti audistis ex ore eius: & ipsi vos testimonium tulistis de ipso dicentes: *Magister scimus quia veritas & viam Dei in veritate doces.* Ex operibus insuper patet quia circumcidit se fecit, in die festo venit ad templum, agnum paschalem comedit & elegit assidue peregrinari. Non igitur averitit populum à lege, sed potius edificavit verbo & exemplo, quod autem fecerit aliqua miracula in die sabbathi, hoc opus pietatis fuit & necessitatis, quæ omni tempore fieri lex non prohibet. Sed neque in politiam peccavit, nam non prohibuit dari tributa Cæsari, sed obedientiam docuit exhibendam Romanorum principi.

Certe Sanctitas & innocentia Domini Iesu magna fuit, quæ ab omnibus adeo approbata est ab ipsis quidem Iudeis, qui falsa querebant testimonia contra ipsum, vera enim invenire non poterant, quod vel in legem peccasset, vel Imperij principem: à proditore Iuda, peccavi, inquit, tradens sanguinem iustum, ab ipso Pilato saepius, quid enim mali fecit & nullam invenio in eo causam, ab ejus uxore, Nil tibi est iusto illi, ab Herode, qui illum induit vestem alba, induc innocentiam, & indemnatum remisit, à titulo superposito Cruci, Iesus Rex Iudaorum à latrone Crucifixo, Hic vero nihil mali gessit, à centurione Crucifigente, vere filius Dei erat iste, denique ab omnibus Creatoris inanimatis, quæ in morte sui Creatoris commotasunt.

**O**Iesu Sancte, innocens, impollute, à peccatoribus se gregata, da nobis tuam sanctitatem colere, interius & exterius profiteri, & cum sanctis Seraphim intonare illud Trisagion, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Iesus passus.* O Iesu sancte Sanctorum & auctor omnis sanctitatis, *amplius lava me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me, purifica & sanctifica animam meam.*

§. 179. *Et ecce, ego coram vobis interrogans. v. 14.*

Iam olim clam exploratum per submissos, an aliquid ageret doce-  
retve contra Reip. quietem & pacē, etiam publice hodie, & vobis quidem  
præsentibus examinavi. Quid amplius possum Iudex justus præstare?

**R**es deploranda quidem est videre Iudicem vivorum & mortuorum  
ita contemptibiliter coram vili homine stare, & coram subditis,  
pro quorum salute mori desiderabat, præsentari ad audiendum, an ha-  
beant contra ipsum accusationes, & produci in eius interitum quævis et-  
iam falsa, attamen hoc nobis valde proficuum fuit, patuit eo modo, non  
pro se, sed pro aliis mori Christum Dominum, qui sic privatim tentatus,  
exploratusque, & publice examinatus, semper innocens, & segregatus à  
peccatoribus est inventus. Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

§. 180. *Nullam causam invenio in homine iusto. v. 14.*

Emphasim habet quod signanter dicit in homine iusto, non invenio  
causam: solius enim Christi est omnis criminis & peccati expertem esse;  
aliorum autem hominum nemo mundus à sorde, ne quidem infans diei  
unius super terram. Magnum igitur innocentiae Christi testimonium est;  
quod ipse Iudex, qui ipsum postea Crucifixit, non semel, sed sæpius, & in  
ipso iudicio innocentem proclamavit hunc Iesum, quod vel solum nobis  
satis est contra calumnias Iudæorum & Paganorum.

**O** Pilate, non invenire te causam mortis in Christo, gaudeo & exulto.  
Iam video esse hominem, qui pro aliis satisfacere possit Deo. Gratias  
tibi ago, quod eum tam candide demonstrasti esse innoxium, hoc est fun-  
damentum nostræ religionis.

§. 181. *Ex his, in quibus eam accusatis. v. 14.*

Hic non solum pro Christo stat Pilatus; sed etiam adversarios ejus  
ostendit mendaces, quos manifestè confundit.

**O** Miranda est, alienigena innocentiae tuæ Domine defensor erat, &  
Hebræi ipsi, ex quibus secundum carnem natus es, morti te tradere  
satagebant: verum longe ante prædixeras, quod *inimici hominis domestici eius.*  
Si tu ergo Dominus meus, & Deus meus ita odio habitus es, à populo tuo;  
quorsum ego indigne feram si à proprio sanguine persecutionem patiar!  
sed respice, ô Domine, in firmitatem meam; & tuo exemplo me conforta,  
ut in injuria, quam proximi mihi inferunt, solatium habeam, per hanc tibi  
illa-

illatam, super omnia autem gratias agens, quod me tuis doloribus & miseriis conformas, atque ita omnia quæ à fratribus meis, sororibus aut amicis inferuntur, de manu tua accipiam. cogitans, quod sic oporteat me Crucem tuam portare & Patri tuo cœlesti gratum obsequium fer ritatis, prestare.

§. 182. *Sed neque Herodes. v. 15.*

Crescit Christi Domini mei encomium inter voces mentientium, & inimici eius sunt iudices, & testes innocentie eius; inter quos etiam cogitur esse Herodes, illa vulpes, ille mali corui malum ovum. Quid mirabilius? vere Domine non solum ex ore infantium & lactentium; sed etiam adulatorum & inimicorum virorum imo Principum ac Regum perficis laudem; cum tibi fuerit complacitum.

**O** Bone Iesu, quando in aduersitate me resigno in voluntatem tuam, vel quando in injurijs à proximo illatis, cogito, quod à te hoc procedat, licet proximus forte illas ex malo affectu inferat, sustineam in patientia; tu potes convertere inimicorum opprobria in encomia.

§. 183. *Non remisi vos ad illum. v. 15.*

Cognoscens per vos eum de ditione & jurisdictione Herodis esse, ut judicaret vestras in eum accusationes, graves satis & morte dignas, si verè probari possent, ablegavi vos cum illo ad ipsum. Et sane erat iste Herodes de genere vestro, Iudaica religionis, & ambiens, vobis placere; ut aliquando sese, si resferret, in Regem acceptare libenter velletis: tales multas & graves causas habebat Herodes iudicandi pro vobis contra illum unicum despectum & desertum à patronis omnibus; dummodo species aliqua veri afflisset in accusationibus vestris.

**D**omine Iesu Christe, qui à Pilato ad Herodem; & ab Herode ad Pilatum mitti & remitti permisisti, ut per hoc tua innocentia magis illustraretur; da mihi iniquorum adversum me tolerantiam non timere, sed eorum exercitatione sic me proficere; ut tibi merear conformari. Amen.

§. 184. *Et ecce, nihil dignum morte actum est ei. v. 15.*

Verum igitur in Christo invenitur quod dixerat. *Venit princeps mundi huius, & in me, non habet quidquam.* Stat ille etiam nunc & clamat opere: quis ex vobis arguet me de peccato? jam incipit impleri, quod postea dixit Apostolus: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem transiit*

*transit peccatum & mors; sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificatio-  
nem vite transit gratia: Egrotavimus ergo per primum Adam in obedi-  
entia, maledictionisque morbo: locupletati autem sumus per secundum,  
nempe Christum; per obedientiam & benedictionem. Benedictus sit per  
omnia mirabilia sua Deus.*

§. 185. *Emendatum ergo, illum dimitte am. v. 16.*

Quid emendatum in Christo, Pilate? nonne ipse jam jam coram  
omnibus, videntibus eum, & audientibus publice eum innocentem de-  
claravit per verba: *Nullam invenio in eo causam.* Quid tibi in mentem venit?  
suspicio te ex una parte videre innocentem Christum, & ex alia velle pla-  
cere & gratificari Iudæis; aded in ejus perniciem incumbentibus. Hinc  
puto, te duorum male coherentia facere & loqui; nempe diligere iusti-  
tiam & amare homines facientes injustitiam quæ duo non compatiuntur  
se uti nec tuum testimonium de innocentia, & propositum de emenda-  
tione.

Politici: ego vos hic invito ad spectandam actionem valde vobis ac-  
commodatam, in theatro urbis Ierosolymæ, ibi prodit iustitia perso-  
nata in Christo; & prodit amator iustitiæ Pilatus; & simul amator inique  
agentium & iniustitia serviens in Iudæis. Videte, quomodo illi se gerant,  
& speculamini vos ipsos in illis. Vos propter rationem status sæpe adheretis  
iniqua agentibus; & tam en sectamini iustitiam, uti Pilatus. Videte an  
utrumque possitis simul tenere. Ille certe excidit: de vobis, vos ipsi videte,  
oculos habetis. Etiam vos reformatores Religionis Catholicæ habetis  
hic Theatrum; quia vos etiam voluistis emendare abusus in fide Romana.  
Quos abusus? prætenso, æque atque Pilatus voluit emendare Christum.  
Sed male cessit Pilato sua emendatio, itaque vobis etiam male cedit vestra  
reformatio. Etiam vos videte, vultis esse & putatis vos lynceos esse.

§. 186. *Necesse autem habebat dimittere eum per diem festum, unum. v. 17.*

Dum de corripiendo Domino cogitat Pilatus; & per primum gra-  
dum erroris descendit ad iniustitiam; venit illi in mentem alia ratio, illuna  
à morte eripiendi, per quam tamen, ut qui jam cœperat descendere, de-  
scendit ad secundum gradum iniquitatis. Occurrit illi quod esset antiqua  
conuetudo Iudæorum hætenus observata, qua ob miraculi memoriam,  
quo Angelus Ægyptiorum domos pervaserat, & eorum primogenita ad  
mortem percutiens Israelitos liberos dimiserat, unum etiã ipsi ex malefa-  
ctoribus liberabant quotannis in paschate, ad aliquod signũ grati animi

R

exhi-



exhibendum Deo, & excitandū populū ad memoriā beneficij divini. Illo ergo modo Pilatus Christū liberare cupiens cœpit quasi in via plana & cōstrata ambulare. Cū autē hujusmodi consuetudo tantū Iudæos respiceret, creditur, quod ab Ethnicis magistratibus alia ex causa non fuerit observata; nisi ut dimissione malefactoris sibi populi favorem venarentur. Ad hanc igitur anchoram Pilatus inter amorem justitiæ, & amorem iniquorū confugit, volens utrumque inter se connectere amorem, & salvare, ne alterum perderet. O quantum ingenij adhibent filii hominem ut virtutes & vitia concilient, ut gratiam simul teneant & peccatum, ut lucem & tenebras simul observent, ut habeant Religionem & simul servent suas passiones: Christum & mundum simul diligant, duobus contrariis Dominis unā serviant! sed revera oleum & operam perdunt, uti Pilatus in se demonstrabit esse factum, justitiæ amorem perdidit, iniquorum amorē retinuit. facinam ex cribro amisit, fures retinuit. quanquam & cito istos amisit.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui in filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, mentium nostrarum quæsumus elide superbiam, ut neque laudantium ora in vanum nos attollant; neque vituperantium voces à recto dei janciant, non diligamus simul mundum & Christum: religionem & passionem, concupiscentiam & sanctitatem; sed in humilitatis soliditate fundati securius de tua misericordia confidamus & justitiam præ omnibus diligamus.

§. 187. *Exclamavit autem simul universa turba, v. 17.*

Quid Pilatus dixerit ad turbam proponendo optionem inter Barrabbam & Iesum, omittit hic S. Lucas; uti satis ab aliis explicatum, solumque annotat, quid Pilatus suo consilio, vel invento satis iniquo, obrinuerit. Nempe uniformem clamorem turbæ, quasi aquarum multarum rapientium illum in gurgites vel abyssos injustitiæ suæ & passiones suas.

Ecce Pilate; ita fit, quando aliquis incipit obliquare vela à recto tramite justitiæ, & vult simul esse justus, & iniquis non displicere; tunc iniqui incipiunt dominari ipsi & obruere eum.

O Iesu patientissime, quam justa de causa lamentatus es per prophetam dicens: *facta est mihi hereditas mea quasi leo in sylva; dedit contra me vocem.* Quam vocem? *Tolle, Tolle, Crucifige eum.* Hoc conclamatum est piissime Domine in caput tuum ex omni parte. O mitis Iesu, impletur hic figura *Levi-*

Levitici de duobus hircis, super quos sacerdos mittebat sortem, qui eorum immolatus esset; & quis in caprum emissarium esset dimittendus. Christus Dominus, tamen si agnus ob innocentiam suam; propter iniquitates tamen nostras, quas in se expiandas suscepit, hircus fœrens videbatur Barabbam autem revera fœtidum hircum esse; nemo ambigit, excepto populo Iudaico, cui improbitatis fœtor, velut spurcissimis scarabæis gratior fuit, quam suavis odor innocentiae Christi. Ille ergo hircus figuratus, hirco vero dimisso, immolatus est. Alter vero hircus verus emissarius caper factus est. At sicuti illi qui emissarum caprum in desertum deducebant, immundi reddebantur; donec se lavarent aqua lustrationis: ita Judæi, petentes Barabbam sibi dimitti, immundi facti sunt; nec unquam mundari poterunt; donec lustrali aqua baptismi laventur in Ecclesia nova per Christi mortem fundata.

§. 188. Tolle hunc. v. 18.

Quid clamabant, vociferantes turbæ? quod ipsi volebant: non quod Pilatus optabat. Quasi dicerent: non possumus eum amplius videre, frustra nos vexas & te, fac voluntatem nostram, ut jam cæpisti, perge, istum nec audire amplius volumus & minus pati possumus, ut vivat.

**O** Pilate, vides quid feceris? vides, quod justitiam non possis simul tenere, & hominibus placere! sed perge jam miser ingressus viam malam; non potes jam non errare, nisi relegas totum iter quod in ea confecisti. Redi ad primum verbum tuum: nullam culpam in venio. & adde, ne quidem emendare in aliquo possum.

§. 189. Et dimitte nobis Barabbam. v. 18.

Vides Pilate jam, quod verum sit vetus dictum proni sunt sensus hominum in malum; tanta pronitate, ut si ex una parte stent vitia cum patibulis, ex altera, virtutes cum coronis, homines malint currere ad vitia, quam virtutes. Vides hoc: ita certe factum est ante oculos tuos; negare non potes. O indicibilis corruptio humani generis facta in Adam! quanta! quanta! Iesus sanctus, innocens, & verus Deus postponitur Barabbæ latroni, seditioso & homicida! obstupescite cæli; nam terra hoc quod fecit; quomodo stupebit?

**D**omine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui hora diei tertia, pro salute humana à Iudæis reprobari voluisti, petentibus eis Barabbam latronem dimitti; te vero vitæ authorem Crucifigi: da mihi te creatorem meum præ omnibus semper eligere; & pro nulla te creata te unquam reprobare. Amen.

R. 2

§. 190.

§. 190. *Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, & homicidium missus in carcerem. v. 19.*

Duo assignat in Barabba prædicata; unde magis appareat oppressio Christi iniqua, nempe culpam seditionis, usque ad homicidium progressæ in turbulento capite Barrabbæ, & pœnam istius culpæ, nimisum, missionem in carcerem, tanquam indomitæ feræ, quorum neutrum, erat in Christo, qui & innoxius erat, & recens captus, quasi per furorem, nondum ad carcerem erat damnatus. Iste tamen tali duplici labe infamatus huic utraque carenti fuit comparatus; imo postponebatur, ut peior.

**O** Domine, quomodo tractant te peccatores! & hoc in pridie summæ totius anni festivitatis paschæ, in quo omnibus modis iustitiam sedari debebant Iudæi; sed fiebat tunc, quod etiam nunc multi homines conque-  
runtur fieri, nempe quanto majus festum imminet, tanto diabolus magis in prævio die furere & turbare. Erat ergo vere, uti Christus dicebat hoc peccatorum & potestas tenebrarum; erat tempus quo dudum præfiguratus agnus Dei per typicos agnos paschales debebat immolari & juxta Exodi. 12. Caput cum hædo componi hic dimitti, ille occidi in lupine domus. Consolare Domine, consolare propter redemptionem totius mundi in te sientem; ista tua comparatio, & depressio ista parat exaltationem æternam salvandorum, etiam tuâ super omnia quæ sunt in cælo & in terra.

Da oro & mihi, misericordissime Domine gratiam patienter ferendi si quando contemnat aut parvi fiam, cum mihi tanta ignominia, quantum tibi irrogata est, nunquam inferri queat: & ego peccatis meis ignominiam omnem mihi illatam, promeruerim centies.

§. 191. *Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. v. 20.*

Quidquid clamarent Iudæi, ut eis dimitteret Barabbam; sustinet tamen adhuc volebat Pilatus causam Christi innocentis; unde iterum locutus est ad eos, quasi non intellexisset turbulentos occlamatōres, revera volens extorquere aliam petitionem contra primam eorum petitionem, ut posset cum bona iniquorum venia dimittere Iesum & esse bonus politicus, supra modum admirans, quomodo Iudæorum populus; & maxime principes ita truculenti sint, ut cum nulla in Christum efficac, ne quidem per speciem causa inveniat, tam turpiter eum occidi postularent, nec alio modo tam celebrem populi dimitti benefactorem, nihil enim Pilatus ab illis audiebat præter casta & vacua rebus verba odii, furoris, & detractionis, quasi diceret: cum fuerim tantum ab hoc iudex constitutus, ut nocentes, parvi officij me iure, lege, & potestate dimittere,

O Pilate,

**O** Pilate, si tu non cogitasses & dixisses antea quod eum velles emendare, & si tu eum postea peius non composuisses cum Barabba latrone, (& sic illaqueare, vt tenereris ex tua hypothese eum perdere, si ipsi Barabam peterent) & sic cœpisses à tramite iustitiæ deflectere ad occupandum vel tenendum fauorem Iudæorum insanientium, forte Deus te custodiret ab vltiori ruina; in qua nunc incipis necessitate morali vltius labi. Videte mortales, ne fenestram primis lapsibus aperiat: si incipitis, finis cadendi per vos esse non poterit, vt nec Pilato vestro speculo finis cadendi fuit, antequam homicida imo Deicida est factus.

§. 192. At illi succlamabant. v. 21.

Sic fit, quando rector populi, vel Dominus seruis, vel pater filijs passionis & malis incipit condescendere; tunc continuo illi audacius progrediuntur in peius. Antea clamabant: nunc succlamant; incuruantes se, & toto nisu ventris vocem intendentes ad insultandum Pilato, vt iurdastrò quasi dicerent: alte clamamus, ignosce, videris obsurduisse, videris munera spectare ab eo cui ita studes &c.

**S**ed obsecro, nullus hic vir, qui se opponat Iudæis? qui persuadeat, vt non eligant exitium, sed salutem, vitam beatam & filium Dei, non vero mortem & filium diaboli! si nullus se præsentet; surge & curre anima mea in occursum Domini tui, sollicita populum: vt tot beneficiorum memor, à Christo acceptorum illum eligat. Concurrant infirmi, surdi, muti, cæci, claudi, leprosi, omnes ab ipso sanati; famelici palti in deserto: mortui resuscitati; à dæmonibus liberati, & quotquot adhuc hisce malis laborant; conclament omnes, dimitte nobis IESUM, quia medicus & medicina, Saluator & salus, Pastor & Pater noster est: ipse est vita nostra; forte horum verba obruent clamores, iniquorum & præualebunt postulatis illis iniustis.

§. 193. Dicentes: crucifige, crucifige eum. v. 21.

**O** Confirmatio maligna! repetitio peruersa: dissecabantur enim eordibus Iudæi, quod vellent Iesum dimittere Pilatus: vnde magis magisque attollentes vocem clamabant suum illud *crucifige crucifige*. Quasi dicerent: Quid tergiversaris? quid necis moras? matura, prope nefarium hunc supplicio addicito, condemna, in crucem sustollatur. O crudelitas inaudita! ô barbaries incredibilis! O Principum & Seniorum obstinara malevolentia! & odij rabies in Christum efferata! ô vulgi leuitas & incon-

R 3

stanti

stantia: quæ quinto ab hinc die lætissimis verbis cantu, etiam actionibus  
eodem exceperat: nunc diris vociferationibus ad crucem efflagitat: motu  
crucis quæ Barabbæ debebatur vt latroni: ex legibus Romanis, vt homici-  
dæ, ex instituto Iudæorum in Christum innocentem transfereatur, & non  
attenditur quo iure?

**N**Unquam digne mortales deprædicare poterunt: quod tu ô Pater æ-  
terne, tu spiritus sancte Deus, Tu ô Saluator fili Dei, nos, quos Barab-  
bas referebat, scelestos ac facinerosos præferri sinteritis vitæ diuissimæ,  
honori ac saluti sanctissimæ humanitatis Dñi N. Iesu Christi in æternum  
erit hoc admirationi omnibus saluatis.

§. 194. *Ille autem tertio dixit ad illos. v. 22.*

Desiderabat adhuc Pilatus illis adeo effreni modo clamantibus,  
Dominum è manibus illorum liberare, si non tanquam iustum & ius-  
tum, saltem tanquam iniquum & iniustum. Vnde cum iam omnem lap-  
idem mouisset: tam refellendo argumenta ipsorum in genere, quam &  
accusationes in specie: adducendo etiam Authoritatem Herodis & testi-  
monium; & sui ipsius examinationem rigidissimam, & in omnibus, in quibus  
eum accusabant inuentam innocentiam, quod a tot alijs quoque iu-  
dicibus examinatus à nullo iudice esset damnatus omnes potius eius iu-  
dices, siue prophani, siue sacri innocentiam eius testes essent obstupescens  
peruicaciam clamantium ministrorum & ciuium à Pontificibus peruerso-  
rum, incipit cum eis disputare, vt æqualis, qui erat eorum superior. Et hic  
est tertius gradus descensus Pilati ad iniquitatem, nempe ex iudice fieri  
sodalem & consultorem iudicij fieri, qui erat accusator.

**O** Deus serua omnes Iudices, Magistratus & potentes ne in tales pellic-  
as incidant, in quas se miser ille Pilatus sensim inuoluit.

§. 195. *Quid enim mali fecit. v. 2.*

Attendamus gnauiter, quid iam tandem pressi dicant accusatores  
Christi? Ego nihil audio, si quis audit aliquis, dicat: sed neque Euangeli-  
stæ aliquid audierunt; & ideo nihil scripserunt. Ecce sic confusi, & Prin-  
ceps & populus tacent. Nesciant enim quid Pilato respondere possint.  
Vnum volunt, cuius rationem dare non possunt, volunt enim mortem Ie-  
su: causam mortis nesciunt. Quid autem hoc est? estne hoc humanum? ne-  
quaquam, est insanientium, est obsessorum à dæmonio: sed hæc permittit  
Deus pro isto die & hora, vt exiret de diaboli potestate humanum genus  
sine vltiore mora.

O di-

**O** diuinæ iustitiæ seueritas in filium Dei vnigenitum; quomodo desauies in seruos & peccatores? Parce Domine, parce, & non intres in iudicium cum seruo tuo Domine; timeo enim, & merito seueritatem iudicis Dei peccator miserimus, si ita in innocentem filium propter peccata mea desauisti.

§. 196. *Nullam causam mortis inuenio in eo. v. 22.*

Non capio quomodo Pilatus tam constanter affirmet *innocentem Dominum, nullam in eo esse causam mortis &c.* Miror quod non crediderit affirmantibus Iudæis ipsum esse malum. Aliquid diuinum agnosco in illa constanti assertioni: quomodo enim homo per tot, tantosque clamantes, & accusato tacente, non induceretur vt crederet esse vti clamantes dictabant? Dico igitur me obstupescere & mirari illam asserendi constantiam, & esse miraculosam; nobis autem vtilissimam: quia si Pilatus credidisset accusationes esse verosimiles, multum de gloria Christi & religionis nostræ splendore dimisisset: quod vt non fieret, Deus gratia sua efficaci in Pilato præcaute illum illuminando, vt peruideret innocentiam & in hoc confitendo teneret perseverantiam insolitam.

**O** Peccatores, aduertite, iste Pilatus gerit se, vti in vobis se solet gerere dictamen conscientiæ. Hoc constanter dicit veritatem; sed Principes Iudæorum habent se, sicuti in vobis solet se gerere voluntas, ista in vobis contra dictamen rationis tendit in id quod allubuit. Hoc speculum quæso ante oculos habete, & quoties male agitis huius rei mementote.

§. 197. *Corripiam ergo illum. v. 22.*

Quid audio? Tu Pilate dicis, esse *innocentem Christum*, quod est antecedens, & inferis, *ergo corripiam illum*. Qualis est ista æquitas iudicij? innocentem emendare! irreformabilem, reformare? credo potius quod velis emendare, seu deteriorem facere: cæteri homines semper habent vnde emendentur. Iste solus est inter homines emendationis liber.

**D**omine Iesu, splendor paternæ gloriæ, corripe me hic per pœnitentiam, dum satisfacere possum pro peccatis meis, vt merear, cum sanctis tuis & electis, videre in cælis splendorem tuæ innocentæ male quidem sed fœlici euentu pro me correptæ à Pilato.

§. 198. *Et*

§. 198. *Et dimittam. v. 22.*

Iam dixit ineptissime; se velle innocentem emendare, nunc addit peius, se velle Iesum Salvatorem dimittere. Quid est Iesum dimittere? velle à se abdicare, nosse apud se remanere. O quam malam est cum impijs conuersari? Ecce iste Pilatus egit cum Iudæis, qui iam Barabbam latro-nem prætulerant auctori vitæ: cum his agens Pilatus iam didicit operæ eorum, interea dum etiam eis obnitiatur, nam & ipse se subtiliter elongat à Iesu, & eum, quem intererat teneri apud se vult abdicare à se, vti Iudæi.

**O** Pilate, si tu vis innocentem corripere; profecto teneris eum apud te retinere, & pro iniuria in gratiam Iudæorum irrogata mulcere, demereri, placare; Hoc malum est consilium quod iniisti, & quartus gradus, quo ad iniquitatem descendisti. In tale tuum & Iudæorum consilium, non veniat anima mea.

§. 199. *At illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur. v. 23.*

Ecce quomodo impij aperiunt os suum, vocibus magnis clamantes vt dimittatur impunè nocens, & crucifigatur innocens; iam enim condescendente cum eis sæpe Pilato didicerant esse audaces, vti filios indigentia patribus blanda, nō solum facit segnes; sed etiam nequā. An non enim nequam erant hi qui accedentes ad Pilatum erant accusatores: nunc postoram sunt Iudices & dictatores sententiæ in Christum. Certe eximij nequam sunt isti, qui ita deceperunt indulgentem Pilatum.

**O** Deus, da obsecro animi magnitudinem Rectoribus populorum, vt aspernantes indulgentiam ineptam, ausint perire impete iniquitatem, ne condescendendo subditis, à subditis, in suam & subditorum perniciem trahantur in malum.

§. 200. *Et inualescebant voces eorum. v. 23.*

Dupliciter, secundum altitudinem, & multitudinem, plures enim tam civium, quam exterorum aduenientes conclamabant, & de submissio-  
tono ad altiorem contendebant voces. *Crucifige, crucifige eum.*

**B**one Iesu, in quo statu hic est Præses, vult te innocentem castigare, & tunc dimittere: Hic populus vult te non castigari, sed crucifigi, & ne quidem probrole habitum dimitti, tumultuans contra tam Iudæorum, quam Romanorum morem, vt crucifigendus prius castigaretur, ita sitiunt mortem

tuam & crucem tuam: Ego in his malis te Dominum meum adoro & opto, ut totus mundus pro his toleratis te incipiat honorare & amare. & quidem semel ad minimum solemnitate aliqua, uti Colonienfes faciunt sua solemnissima Theophoria Feria vi. post Dominicam in Albis, qua celebrant maxima maiestate Festum Clavorum & Lanceæ & c. instrumentorum Tuæ SS. Passionis. Ita decet Christianos esse gratos.

§. 201. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem ipsorum. v. 24.

Iam quintum & vltimum ad impietatem descensum facit Pilatus, nempe, plane consentit iniquitati. O crimen! ô homicidium! imo Deicidium, reum non esse & condemnare: non confessum nec conuictum pœnæ capitali, imo crucis ignominiosissimæ subijcere? O Pilate, ubi est constantia tua? ubi iustitia? ubi æquitas gentium & imprimi Romanorum? sicine per te perditur, quæ per totum orbem terrarum in Romanis laudabatur iustitia? & compensabatur ab altissimo dato dominio populorum? sicine iam per te despoliabitur & in nihilum redigetur tam pulchra, tam sumptuosa, tam splendens & magna orbis terrarum ciuitas Roma? O malum præsidem qui missus à Romanis ad prouinciam regendam iunxit te regi ab iniquis Prouincialibus & prouinciam perdit grauando & Romanam Remp. & Iudæam irâ Omnipotentis, dum petitionem tam manifestè iniquam annuit fieri. Non enim Deus magis curat lapides & ligna mundi, quam virtutes & sapientiam, ut non magis zelet, si hæc contendantur, quam zelant homines si sui mari & ianua perfringantur. Sed hæc oculis mundi modo sunt abscondita: postea aperienda, quando Romani prius vltionem facient Duce Vespasiano & Tito de Iudæorum gente & vrbe, & postea Barbari populi vltionem sument de Romanis Imperium illorum peruadentes & lacerantes, uti fecerunt, Franci, Wandalij Alani, Picti, Hunni, Gothi, Longobardi, Saraceni, Parthi & c.

§. 202. Dimisit autem eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. v. 21.

Describit hic Euangelista personam Barabbæ, ut maior appareat Iudæorum malitia, qui hunc talem, Christo præposuerint. Interpretatur autem Barabbas filius patris. At cuius patris? certe non valde boni; sed potius eius, qui sua indulgentia fecit filium suum audacem, seditiosum; percussorem, qui virgæ & seueritati in iuuentute pepercit; talis patris, & talis matris iste filius fuit iste tamen (O indignam rem!) præ filio



filio Virginis Mariæ & Ioseph tam sancte educato, amatur, praefertur, & adoptatur,

**A.** A. A. Domine nescio loqui. O qualia, sunt iudicia mundi! Consolare, ô Christiane, cum talia iudicia de te quoque sentis? Cum vides Turcas, Iudæos, Athæos, omnes impios & Hæreticos tolerari à Reformatis, solum te non tolerari, extirpari, memor esto tunc iudicij de Domino IESU facti.

§. 203. *Iesum autem tradidit voluntati eorum. v. 25.*

Non dicit voluntatibus; quia omnium adstantium Iudæorum & vociferantium erat vna eademque voluntas, vt ipsis traderetur innocens IESVS: vt in eo facerent voluntatem suam. At, qualem? diabolicam, discerpendo, vulnerando, cedendo: virgis, flagris, scorpionibus, tundendo pugnis, pedibus, fustibus, armis, illudendo verbis, cachinis, petitionibus falsis, hortamentis, mortificando in anima & corpore, execrationibus, adiurationibus, maledictis, blasphemijs, sputis fœdis & excrementis varijs, coronatione, & tandem, fame, siti, nuditate, baiulatione propriæ crucis, terebratione manuum & pedum: dira eleuatione, & dimissione crucis, donec mors sequeretur nigredine, & horrore infami eum inuoluens, si fieri posset æternum eradendo memoriam eius de terra. Hæc erat voluntas illa, cui Iesum tradidit Pilatus. opera, quæ consecuta sunt, talem illam fuisse voluntatem demonstrant.

**S.** Alue hora, salue dies, in qua tali sententia lata cœpit mundus redimi! Hætenus prælusum fuit redemptioni isti, nunc incipit salus ipsa prodire, cum pro nocentibus, innocens datur, non solum à Deo, sed & à magistratibus, Dei occultam voluntatem sua malitia implentibus. Interea ego tuam patientiam, tuam charitatem adoro, ô Iesu.

§. 204. *Et cum ducerent eum. v. 26.*

Vt præda facta fuit Christus canibus famelicis: quid putas fecerunt? S. Lucas commotis quasi visceribus transiit acerbissimum modum flagellationum & coronationis & statim properat ad montem Caluarie, quasi præ condolentia non sustineat illa probrosa enarrare.

**B.** Ene facis, ô sancte Dei amice, scriptor pie, quod silentio tuo ostendis affectum compassionis: impetra mihi & omnibus fidelibus, etiam à B. V. M. cui tu singulariter fuisti familiaris, compassionis affectum quem illa habuit acutissimum,

§. 105. Ap.

§. 205. *Apprehenderunt quendam Simonem Cyrenensem venientem de Villa. v. 26.*

Ecce quam verè dixerim S. Lucam compassionis affectibus plenum, facere in passione Domini memoranda, saltum: nam vti dolentes & rem amarissimam præ oculis habentes, solent ab ea oculos, imò cogitationes auertere: sic S. Lucas calamum à Christo nimis immaniter patiente auertens, vertit eundem ad aliud obiectum, nempe contumeliam, quam petulantibus milites irrogarunt Simoni Cyrenensi innoxie venienti ex villa sua, & tendenti in urbem fortè ad res venales eo deportandas, quem arreptum coegerunt portare crucem post Iesum. Non erat illis religio immaniter Christum crucifigere; at ferre crucem aut tangere religio erat, quasi vero ille qui patibulum tangeret, magis quam in eo innoxium suspenderet, inquinaretur.

O Proteruiam militaris licentiæ! & sæpe miserabilem sortem rusticorum hominum; sed quid Simon ille est? nisi obediens. Quid Cyrenæus? nisi hæres, & vnde veniebat? nisi è villa; quæ pagus græcè dicitur, vnde & Pagani nomen traxerunt. Vt igitur paucis finiam, quotquot paganissimi mores, gentilitios ritus, vanitates mundi deserunt & ad Christum accedunt portantes Crucis vexillum, hi cœlestis regni hæredes fiunt; sed quoniam apprehenderunt hunc Simonem? Iudæi? Christo non compatiens, verum ut sufferendis maioribus supplicijs idoneus seruaretur: quid igitur mirum est, si gentes pro Iudæis aspernatoribus Christi crucis in regnum pro eis intrauerunt. Benedicite itaque omnes gentes Dominum: & benedictus sis tu Simon quia per tuam coactionem cœpisti gentibus aperire regnum cœlorum. Sed & tu Domine Iesu amantissime fac me, vel coge me tuam crucem arctiori assumpta pœnitentia sponte apprehendere, eamque post te & hodie & in omni tempore, ob tui nominis amorem, bailare.

§. 206. *Ut imposuerunt ei crucem portare post Iesum. v. 26.*

Quid hic dicemus esse portare crucem post Iesum? Variè enim id potest intelligi. nempe primò, vt Christus anteriorem partem portauerit, Simon posteriorem, totam simul vterque, secundo quod Christus in tempore antecedenti tulerit; Simon in tempore sequenti; tertio quod Christus intereundem præcesserit loco anteriore ductus, Simon secutus sit eum cum cruce tota loco sequente ordinatus à ministris in hac processione, quarto quod dignitate Christus tulerit quasi prius, Simon vt minus dignus post, quomodocunque vero illi ordinauerint, & nos meditemur esse factum, admiranda inuenimus Mysteria; animæ nostræ pascua, ex singulis & omnibus simul.

S 2

O Ani-

**O** Anima mea porta & tu crucem post Iesum, ille prius tulit, & nisi ille tulisset prius nemo ferret ante eum, & gratias age semper ei, qui tulit ante, vt tu posses post portare.

§. 207. *Sequebatur vsem illum turba multa populi. v. 27.*

Aliqui non pia Christi commiseratione per moti, sed curiositate, vt fieri solet, videndi, alij vt mortem eius accelerarent, quam valde cupiebant ex odio & inuidia in ipsum, iuxta dictum sapientis: *Morte turpissima condemnemus eum, quia contrarius est operibus nostris.* Alij ex pio affectu vt viderent finem tribulationum eius, quæ tam multiplices erant, vt scribi non valeant, alij ex amore & gratiarum actione, pia commiseratione: & si occasio esset causa adiumenti: vt erant eius discipuli: vel ab ipso varijs morbis curati: aut se moribus instructi diuinis, miraculorum varietate conuersi amici. Cæpit igitur iam tunc operari in animis hominum vicus crucis Christi: cæpit tunc coalescere immanis turba Christianorum, qui abnegantes secularia desideria, iuste, pie, & sobriè viuunt propter ipsum, contemntes secularia, vt habeant æterna: qui exhibent corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium: in omnibus exhibentes se, sicut Dei ministri in multa patientia, in multis tribulationibus: in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus: in laboribus, in vigilijs, in iunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitie, à dextris & sinistris per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, siue qui ignoti & cogniti, quasi merentis & ecce viuunt, vt castigati, & non mortificati, quasi tristes semper autem gaudentes, vt egentes multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes: omnia autem possidentes. Isti sunt veri amatores & imitatores Christi, qui Christo, quatenus possibile est aliquam pro morte illius vicem reddunt, exponentes rationabiliter etiam periculis animas suas, sicut & Christus suam pro eis animam posuit, cupiuntque omnia perdere & arbitrari vt detrimenta, quo Christum lucrifaciant, nec spernunt quemquam, sed ipsi contemni gaudent. Ceteros magnificiunt & sanctos credunt, se vero vilipendunt, ducuntque pronihilo: cunctis pios & benignos; solis sibi rigidos & seueros se exhibent, ex aliorum malis virtutes eliciunt, suasque virtutes pro nihilo ferè habent; & alios denique omnes ad sua collatos peccata, iustos & virtute præditos ex animo arbitrantur: quis hos humiles, sectatores Christi, amatoresque dicere dubitet, qui & se ipsos funditus abnegarunt, Christumque cum sua cruce sequuntur!

Exist.

**E**xurge igitur anima, exurge cor & corpus meum cum omnibus potentibus & viribus; accurrite ad crucem cum Christo Domino & Salvatore vestro portandam, considerantes ad amissim, quæ fecit & passus est pro vestro bono & salute, non temporalia modo, sed & æterna, considerate ut anima ejus tristis est, caput spineto transfixum, sanguine tincta coma turbata lineamenta, lacrymosi oculi, vincæ manus, incurvati renes, & ossa contusa, os sanguinolentum, humeri graviter onusti, collum humiliatum, celsipitantes, pedes, corpus gelidæ mortis imagine plenum; O mi Iesu!

§. 208. *Et mulierum. v. 27.*

Specialiter voluit Dominus per Evangelistam suam mentionem facere mulierum, ut intelligamus nullum sexum à passione Dominica excludi, secundo ut earum non vilipendatur devotio; quam Christus pijsimè admisisse legeretur, tertio ut insinuaret fœminarum in Christianismo futuram magis audacem devotionem in hoc primo devotarum fœminarum fermento quod ipse misit in totam mundam, ut totus ex eo fermentaretur, uti & factum videmus. Quænam autem ille fuerunt? indubiè multæ filiæ Hierusalem. Civium vxores, Principum, Consiliatorum & militum cognatæ, & ipsa mater Iesu cum sororibus Maria Jacobi & Salome, Veronica, Magdalenis, Marthæ, Ioanna, & alijs tam consanguineis, quam Christo devotis.

**U**tinam ò utinam omnes fœminæ in eorum numero essent, & viderent, quæ passus sit propter eas Dominus meus, & cognoscerent gratiam quæ data est ipsis. Utinam declinarent fœminas ab ambulando, & sequendo eos qui non sunt Christi, sed Diaboli, qui sectantur vanitatem, & ponunt ipsis verba mendacia, & ludificationes ipsis fabricantur. Utinam non formas filiorum hominum, sed in faciem Christi contemplarentur, multo profecto quietiorem vitam obtinerent, nec ingemiscerent, sero se fuisse ab hominibus delusos & desertos.

§. 209. *Quæ plangebant & lamentabantur eum. v. 27.*

Bonum & sanctum exercitium fœminarum plangere in sequendo Christo Domino, licet enim non defuerint viri etiam lamentantes & mestissimi, ut turba amicorum Christi, tamen de mulieribus specialis sit mentio planctus; quia eis ad planctum natura liberaliorem dispositionem de-

dit, sicuti & ad compassionem. Cum igitur Christus ita dehonorus esset, viro-  
rum verberibus & contumeliis, ecce confestim mulierum lacrymis  
& lamentis honoratur; quia considerabant amittere sese virum pi-  
um & sui consolatorem in omnibus angustiis & tribulationibus: quia videbant  
Christum tam miserabiliter sub ingenti sanctæ crucis mole vix incedere  
posse ob acerbissimos dolores corporis, vulnera, sanguinis effusionem  
copiosissimam, *novissimum virorum vermem & non hominem, sed opprobrium  
hominum & abiectiorem plebis, circumvallatum ærumnis & hominum pedi-  
bus conculcatum.*

Sic certe plangerent te omnes si in veritate te Dominum Deum sum-  
mum cognovissent. Quis enim non lamentaretur considerata tua innocentia,  
quod tu Dei filius contumeliam, quam ipsemet commoverat patereris;  
profecto vel laxo corde esse debebat & omnium ingratus quibus  
non lacrymaretur, ubi duæ tam magnæ causæ offeruntur; videlicet quod  
homo peccator hæc pati debuisset, & tu ipsa iustitia, verus Dei filius qui  
peccatum non feceras, in cuius ore dolus inventus non fuerat pro ho-  
mine hæc pati dignatus sis.

§. 210. *Conversus autem ad illas Iesus. v. 28.*

Magna fuit hæc Christi Domini in tantis malis generositas, quod  
non solum, ad circumstantes personas & actiones earum ad vertit oculos  
& mentem: sed etiam eas animose alloqui, imò sui doloris oblitus con-  
solari alios potuerit, neque solum consolari, sed quasi in templo quietus se-  
deret erudare. Quam verè & bene dixisti per prophetam tuum: *conver-  
tini ad me, & ego convertar ad vos.* Ecce enim istæ mulieres sese modo  
converterunt ad te, plorando & compatiendo & statim conversus allo-  
queris eas, doces, viam monstras ad salutem. Bonus Dominus, qui tam fa-  
cile respicit ad conversos.

**TU**, O Domine qui tantam lacrymis dolorique prærogativam indidisti,  
ut iratum te placent, & veniam peccatorum obtineant: concede pro-  
pitius ut eò omnem doloris & luctus copiam convertamus, ubi sicut male-  
mè est opus, ita & uberrimus eorum fructus exoptatur: quo tandem, qui  
per peccatum cecidimus, per veræ pœnitentiæ lamenta surgamus & con-  
solari mereamur.

§. 211. *Filiz Ierusalem. v. 20.*

Amicum & humanissimum exordium, orationem totam spondet  
benignam & quid aliud expectetur a bonitate melliflua Christi: in manu  
III

ma tamen angustia illa, in qua nos homines solemus esse morosissimi, tanto illa bonitas est pluris facienda, quanto rarius nos afflicti solemus loqui verbum gratiosum. Hinc non turbati foris, omnes turbamus domi, tingamus, inuimuramus, imprecamur, nulli bonum damus verbum, & multo minus beneuolum auditum, frontem caparamus. Christus autem benignissime suauissimeque compellat eos, quorum patres, magistratus, cognati, & forte viri conjugesque ipsum ita affligebant.

**O** Anima mea, esto etiam tu uti afflictus ab hominibus Dominus tuus: benigne loquens in aduersitate, in offensionibus, in mortis, in melancholia. Noli tunc murmurare, & esse uti leo in domo tua, lacerando, imprecando, contumeliam dicendo, verberando & frangendo imitare Iesum, imitare Iesum.

§. 212. Nolite flere super me. v. 28.

Quare? bone Iesu, videntes angustias animæ tuæ, sudorem sanguinolentum, onus importabile crucis in humeris tuis, plagas circum strepere comitantes latrones, & te penè bestia excoriata, quam homini similiorem non deberent plotare? certe cautibus essent duriores si id non facerent in tanta tua innocentia, & antea cta beneficentia ergo omnes mortales.

**Q**uid est hoc? O bone Iesu, tu in miseris tantis es, & mulieres in se nihil mali sentiunt, & non vis ut flant saltem super te? nunquid non iuxta prophetam recte plangunt eum, qui egreditur, quia non reuertetur ultra, nec videbit terram natiuitatis suæ? si quidem tu, ô bone Iesu, moriturus egredieris, non amplius in carne mortali rediturus, sine obsecro, sine flere super te super acerbissimos dolorum tuorum aculeos, ut merear conregnare tibi, qui publicani fecisti per sanctos Apostolos tuos, *si compatimur & conglorificabimur.*

§. 213. Sed super vosmet ipsas flete. v. 28.

Optimum hic modum suggerit Ecclesiæ suæ pro meditando passione Domini, ipse patiens Dominus noster, nimirum peccata, quæ in auditæ hujus tragædiæ initium & causa fuerunt, consideremus, eorumque nefandissimam turpitudinem & malitiam inexplicabilem ex magnitudine remedii, contra ipsa à Deo sapientissimo, adhibiti æstimare discamus, si enim vulnera nostra non essent tam grandia, ut tali egerent medela, certe Dei sapientia ea tantis impensis non procurasset ea sanari.

**O** Supreme Magister, qui, etiam in mediis afflictionibus tuis, tui officii curam geris, & doces me flere super me, meamque miseriam &  
pec-

peccata potius, quam super doloribus tuis, quos jam pridē superasti & qui te modo multum oblectant, ob fructum iude toto orbe enatum, sicut olim valde affligebant, gratias ago tibi, pro tam utili doctrina. Fac oblecto me profunde penetrare ex tuę passionis Consideratione malitiam peccatorum, & eorum penitus imbibere horrorem.

§. 214. *Et super filios vestros. v. 28.*

Ecce aliud pulchrum documentum Salvatoris, qui non solum suadet pro se flere, sed & pro aliis propter illorum peccata & ruinas, maxime tamen pro illis, qui orantem concernunt uti sunt domestici, & agnati & amici & alio modo nobis propinquiores sive voluntarie sive necessario.

**B**onum verbum, & valde bonum eructavit cor tuum Domine Iesu, cum sic consolaberis lugentes. Hęc enim est vera consolatio, quę affert æternam tranquillitatem.

§. 215. *Quoniam ecce venient dies. v. 29.*

Qui dies 7 utique valde mali, si propter eos magis debemus lugere, quam propter tantam enormem Christi passionem. Hi dies utique sunt dies ultionis sumendę de peccatis propriis. Invitat ergo hic filios & filias Hierusalem ad pœnitentiam, ut venturam præcaveant ultionem, præ fortibus imminente, mirabilem & à sæculis inauditam quam facturi erant tunc primo Titus & Vespasianus in obsidione civitatis Hierusalem, quam ita destruent, ut nec lapis mansurus super lapidem forti exercitu valde, multo tempore, coangustando vndique, tribus aggeribus concludendo eam, & prohibendo introitum & exitum, introductionem victualium & armorum, ut præ angustia famis mulieres proprios filios comedere cogantur & capta civitate turres & muros diruant & cuncta ædificia palatiaque auro fulgentia deiciant ad terram, & cunctos filios & habitantes in ea prosterneant, aliquos occidendo fame, gladio, crucibus aliquos captivando & alios vendendo prelio vili, ut mancipia perpetua, & delicta in Deum factorem suum, & recessum à Deo salutari suo, & provocationem in deos alienis & in abominationibus multis. Denique propter finalem mundi devastationem quam ipse Dominus faciet multo quam Titus potentior ac terribilior.

**D**omine isti dies satis amari sunt, & bene fecisti nos admonendo contra eos ut à nugis abstineamus, & tempus melius redimamus. Quid retribuam tibi pro fideli admonitione tua? hoc ut quod mones caveam, cavebo.

## §. 216. In quibus dicens Beata steriles &amp; ventres qua non genuerunt. v. 29.

Homines solent putare se esse valde beatos si habeant matrimonio complacitum, & in eo obtineant filios & filias, quomodo ergo nunc beata steriles dicuntur? Ista est magna atque insperata metamorphosis, verum tamen primo quidem, quia steriles mulieres, adveniente obsidione & captivitate civitatis Hierusalem, erant agiliores ad fugiendum, quia tunc temporis multae virgines & steriles & magni est parvi affugerunt e civitate in specus & cavernas & montes, ut ibi salvarent se, ante omnimodam obsidionem, quod per multitudinem & amorem prolium aliae mulieres nuptiae non poterant, & ideo coactae sunt videre, miserabiliter proles suas vel fame vel gladio perire, etiam se ipsas cum suis prolibus, deinde steriles certe in aliis non patiebantur, ut matres & patres in patiente prole sua patiuntur.

Deus miserabile est urbium vastatio; sed magis miserabilis hominis mors, & miserabilissima damnatio aeterna, o Deus salva nos maxime ab isto ultimo malo.

## §. 217. Et ubera qua non lactaverunt. v. 29.

Audite novum Ecclesiasten in ipsa sua passione, in qua utique maxime verum dicit, si unquam, quia ibi ioco, vel non serio loqui nulla erat causa, quid girit ille Beatus pronuntiat, *qua non lactant*, id est castas, dicit beatas, quia sunt quasi lilia candidissima paradisi, quibus delectatur anima Christi, quod bene intelligentes discipuli, utiliter pugnant pro decore castitatis & dignam iudicant pati multos labores & angustias pro candore puritatis eius, tenent gladios super humerum suum & praecinctus lumbis vigilant, ne unquam inquinentur stolae eorum quibus decorantur, & praeparantur ad nuptias agni Dei; difficulter numerati possunt vigiliae, jejunia, cilicia, & aliae corporis castigationes, quibus exercent se ad tuendum decorem puritatis, quae somno, cibo & mollietate solet offendi.

Deus cui castitatis devotio ita complacet, ut etiam in passione ad eam adhortari volueris, & beatos dixeris ventres, qui non genuerunt & ubera qua non lactaverunt, erue me ab homine isto malo, qui interiorena ad similitudinem tuam factum, per voluptatum illecebras fraudulentem querit subvertere, & per concupiscentiae blandimenta trahere me nititur in partem indignam, ab his igitur ad versarii insidiis libera me, esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum ut salvum me facias.

T

§. 218



§. 218. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus operite nos, v. 30.

In die illa iræ, calamitatis & miseræ, quando mittet Dominus exercituum principes militiæ belli, venientes de terra procul & aliena, super civitates & terram Iudæ. 2. quando à summitate cœli Dominus vasa furoris emittet, ut disperdat omnem terram, tunc dissolventur omnes manus & omne cor hominis tabefiet & conteretur, arescentibus hominibus præ timore, & quasi parturiens, dolentibus; & unoquoque ad proximum suum stupente, cum erunt facies combustæ, vultus eorum, & dicent, ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, & ira furorisque ad ponendam terram & vrbes in solitudinem, & peccatores eius conterendos, de ea. Quis poterit exspectare diem illum in quo omnis, qui inventus fuerit occidetur, & omnis qui supervenerit cadit in gladio; infantes nostri allidentur coram oculis nostris diripientur domus nostra, facile tunc extorquebitur vox illa & votum montes cadite super nos, & collis operite nos, melius enim erat subitanea, quam tam lenta, & calamitosa petire morte, & tectum montibus non videre mala, quam inspiciendo gravari. Lege lib. 2. Iosephi de bello Iudaico.

**V**Æ miseris nobis, quando dies iudicij advenit! dies iræ, dies furoris Domini, Iudicis universorum, cum omnia patebunt, ad cuius nutum omnes creaturæ insurgent contra insensatos & peccatores, quando fractis sigillis libri conscientiarum operientur, & cuiusque legetur peccatum in specie & in genere, quando & mea publicabuntur coram toto universo pro iustitia facienda & subeunda sive in bonum sive in malum! quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus; cum vix iustus sit securus? utique nisi scirem misericordias Domini, quas in æternum cantare desidero, jam tum desperandum foret; sed ibo in tempore ad Patrem meum, Patrem misericordiarum, & totius consolationis: & dicam: Pater peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus, præ multitudine iniquitatum mearum. fac me sicut virum ex mercenariis tuis ut vivam & non æternum peream. Amen.

§. 219. Quia, si in viridi hac faciunt, in arido quid fiet? v. 31.

Per lignum viride Christum intellige qui fuit quasi lignum juxta aquarum decursus plantatum, fructum salutarem proferens nobis redemptis tempore opportuno: qui tamen si innocentissime vixit, sine tormentis tamen grandibus & multiplicibus non occubuit. iam contemplare quæ illos manebunt tormenta, qui in die novissimo coram Deo stabunt tanquam infrugiferi palmites aut arbores fructibus vacuæ? Hanc contemplationem nobis voluit inculcare Christus sua passione, quam quia nos rudes & stupidi non eramus ex nobis adhibitori, ideo ipse applicans ait: si ego

vitis fructus optimos nunquam non producens, à filiis vestris tam impie & atrociter judicor & tractor, illudor, angustior, &c. quid de illis futurum putatis, qui tanquam palmites aridi erunt à vite vel oliua, optimi fructus matre, radicitus avulsi? Deus pater mihi filio suo omnium innocentissimo non parcit, sed pro abolendis realibus alienis tam severe a deo dilectum percussit, quomodo mei Crucifixoribus & granium peccatorum operariis parceret? quandoquidem promissit redditurum se unicuique secundum opera ejus.

**O** Peccatores, peccatores evigilate. Quid adhuc iniquitatibus nostris ad blandinur? Videntes Christum tam horrenda pro nobis passum supplicia? qui tuit arbor salutaris, optimique succi plena, & vere frugifera, & tamen Deo permittente in ignem amaræ passionis conjectus est. Quid oro fiet de nobis maxima peccatorum mole gravatis, qui in vanum viximus, sicut vivunt ligna infrugifera vel arbores infructuosa! ò Deus misere, miserere & miserere.

§. 220. Ducebantur & alii duo nequam cum eo ut interficerentur. v. 32.

Recte Evangelista dicit, ductos fuisse etiam alios duos nequam, hi inviti ducebantur, Christus autem ibat se ipsum offerens, volens, lubens, bajulansque sibi crucem propriam, plenus desiderio salutis nostræ; dicimus nimirum ille amator ad mortem currebat incitatus flammis & ardoribus dilectionis, propter infinitam in nos Charitatem & vehementiam amoris, id est mori volebat in amore, per amorem; pro amore & amore.

**O** Bonitas æterna! O Clementia! spes atque refugium peccatorum! indigesne aliqua Creatura tua, quando sic agis, tamque sollicitè eam quaeris; ac si absque ea vivere non valeres? profecto non egres, ex quo vivunt omnia, & sine quo nihil omnino factum est; sed amor inæstimabilis, & immensa benignitas Creatoris hoc totum quod video, lego & audio fecit, ista excessum istum causavit, qui in alio homine vocaretur dementia & fatuitas, si sic duce eligeret ob amorem alterius. Sis igitur benedictus in sæcula, Amen.

§. 221. Vi interficerentur. v. 32.

Novum ab his duobus nequam tormentum accessit, sive isti casu ab hominibus adiuncti sint; sive ex intentione. Nemo enim naturaliter cum infamibus & cum contemptis ambulat, habitat, aut conversatur. Ipsos filios solet pudere, si paulo melius sint vestiti, quam parentes sui, & si tunc parentes vel cognati deterius vestiti, vel moribus simplices

T 2

iptos

iplos alloquantur, in palam; subducunt sese, subterfugiant. Ecce hoc naturaliter faciunt homines, quomodo igitur natura illa, honorem suum jubere tenens, cum latronibus, cum nequam istis ambulaverit, qui que ex se zelimet. Fuisset Domino solatium, solitariè duci; sed cum talibus duci, reverere erat dolor, cor conscindens; istum tamen dolorem propter nos (Ecce propter nos) suscepit, & uti calicem bibit.

**D**omine Iesu fortiter occidisti in te superbiam meam, & renacitatem honoris indebiti, perdendo honorem tibi maximè debitum. Da ut cum in sancto Sacramento suscepero te, de te fiam humilis corde, & de te uti de vite vera traham humorè virtutum, tibi laus & gloria in sæcula. Amen.

§. 222. *Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvaria. v. 33.*

Locus iste in quem venerunt cum Christo Iudæi, olim vocatus est Mons Moria, in qua præceperat Dominus Abraham offerre filium suum, in quo & ligna præparaverat holocausti, & filium suum unigenitum ex obedientia sua posuerat, jam jam decollandum proprio gladio & manibus nisi Angelus Domini ictum cohibuisset voce cœlesti interceptum. Ille tamen locus à Calvaria Adami (qui ut gravissimi Patres tradunt) ex antiquissima traditione ibi sepultus erat, sive à Calvitie petrosa, sive à mortuorum animalium & hominum istuc educi solitorum, ossibus aggregatis & sparsis, nomen nactus in nullo tunc erat honore, cū eo Dominus ductus est.

**V**erè, Fratres, non cōgrue creditur, quia erectus sit medicus, ubi jacebat agrotus, & dignum erat, ut ibi ceciderat humana superbia, ibi se inclinaret de vana misericordia, & sanguis ille pretiosus etiā corporaliter pulverè antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redimisse credatur, ait belle S. Augustinus & ego cum ipso. Pro quo beneficio etiam ex corde gratias divinæ majestati ago.

§. 223. *Ibi Crucifixerunt eum. v. 27.*

In monte scilicet Calvariæ inter occidentem & septentrionem medio circiter atque urbi Hierosolymæ adjacente loco affixerunt eum cruci isti, qui Cruces & patibula promeruerant omnia. Cruci duo brachia habenti & malum seu truncum. Ad hanc Crucem alluisse Apostolos ad Eph. 3. cap. dicens, *ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum*, in latitudine brachia, in longitudine truncum considerant, & denique firam in sublimitate & profunditate, quomodo autem affixus seriem Christus Beatissima Brigitta ita contestata est. l. 7. c. 15. ut ipsa refert: *Ad montem Calvaria dum essem in ætissima plorans vidi Dominum meum nudum & flagellatum, ductum per Iudeos ad crucifigendum: qui diligenter ab eis custodiebatur, vidique tunc foramen quoddam excisum in monte & Crucifixerunt*

circu paratos ad operandū crudelitātē, Dominus autem conversus ad me dixit mihi, attende tu quia in isto foramine petra infixus fuit pes crucis mea tempore passionis, & statim vidi qualiter ibi crux eius à Iudais figebatur & firmabatur fortiter in foramine petra montis, cum lignis confixis, cum malleo validissimo circumquaque ut crux solidius staret, ne caderet. Cum igitur crux ita solide firmata esset ibidem, statim adaptantur tabule lignee in circuitu stipitis crucis per modum graduum vsque ad locum ubi pedes eius crucifigi debebant, ut crucifixores ascendere & super tabulas illas aptiori modo stare ad crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt ipsi per illos gradus detentes eum cum irrisione & vituperio maximo, qui gratanter ascendens, velut agnus mansuetus ductus ad immolandum, cum esset iam super tabulas illas non coactus, sed statim voluntariè extendit brachium suum, & aperta sua dextra manu posuit eam in cruce, quam illi saui & torores immaniter crucifixerunt, perforabant eam clauo per illam partem, qua os solidius erat, tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum eius sinistram cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore ultra modum in cruce posita fuit vna tibia eius super aliam & sic iunctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis & in tantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce vehementer, quod quasi omnes vena & nerui eius rumpebantur quo factò coronam de spinis quam deposuerant de capite eius cum crucifigeretur iterum imposuerunt, & aptauerunt capiti suo sacratissimo, qua tam fortiter pupugit reuerendum caput eius, quod oculi sui repleti fuerunt ilico fluente sanguine, aures quoque obstruebantur & facies & barba quasi tegebantur, & intinctæ erant illo rosco sanguine, & statim illi crucifixores & milites amouerunt velociter omnes tabulas illas, quæ adhaerebant cruci & tunc remansit crux sola & alta & Dominus meus crucifixus in illa. Hæc fuit contemplatio B. Brigittæ quæ nullum præiudicium facit, nec aliorum contemplationi Evangeliorum historie qui valde rationabiliter videntur asserere, & pingere, quod Christus antequam cruci sese coextenderet, vestibus nudatus, atque genuflexus, oculos manusque ad cælum extulerit dicens: hæc aut similia v. r. b. Suscipe sancte Pater æterne me dilectum filium tuum, qui se tibi offert in sacrificium immaculatum pro salute omnium hominum, & remissione omnium peccatorum. Ecce iam non amplius offeruntur tibi legalia sacrificia hircorum aut agnorum, sed caro innocentis filij tui sponte morientis pro honore tuo. Quibus verbis absolutis crucem amplectens ac postea dorsum suum illi applicans, se tanquam agnum præbuit immolandum.

**O** Lignum sacrum! ð Cruz diuina, cui affixa est illustris & inextinguibilis lampas vniuersum mundum collustrans, ut è tenebris peccati & atrijs vitiorum emergat. Tu vnica scala es, per quam securè ad eminentissimas vitæ æternæ contignationes ascendere possumus: quæ inexhaustam lætæ virginem aquarum misericordiæ producis, quibus ignea tela nequissimi

mi aduersarij extinguantur. Tu verum defensionis armamentarium, turrei  
 Dauidica præfiguratum, vbi pendent mille clipei tantæ soliditatis, vt nullo  
 mundi aut carnis iaculo penetrari possint. Tu Virga quæ nos maiori mita-  
 culo ad gloriam cœlestem, quam illa Moysis populum Hebreum per de-  
 sertum Sin deducis, quæque melius naturam nostram aridam & languen-  
 tem in desertis peccati & salutis siticulosam reficis & instauras, quam illa  
 Mosaica, percutiens Petrum. Tu illa es in qua Saluator brachia extendens  
 profundum illud mare rubrum damnationis nostræ atefecit, ab illos pec-  
 cati ad iustitiam exæquauit, adeoque tenebras erroris illustrauit, vt lenita  
 à terris ad cœlum (sine te inaccessibilis penitusq; antehac incognita) com-  
 planata modo, facilis & aperta percurratur. Tibi merito accinit Ecclesia,  
 Ô Crux aue, spes vnica, auge pijs iustitiam, reisque dona veniam.  
 Amen.

§.224. Et latrones vnum à dextris alterum à sinistris. v.33.

Latronum autem, nomina tradunt quidam fuisse hæc, Dismas & Gil-  
 mas: sed nomina aptiora attribuit illis sacra scriptura; ista vocat duos  
*quam latrones*, &c. Sed cur vnus à dextris alter à sinistris appensus est: vtique  
 quia Deus hoc elegit permittere, quod erat grauius Christo, & nobis simul  
 vtilius. Graue fuisse in medio duorum latronum suspendi, & in medio  
 duorum nequam, accipere locum supplicij satis patet. ita vero fieri nobis  
 vtile fuisse patebit, si se quilibet consideret; indies habere, quæ pati cogi-  
 tur, & vel cum patientia spiritus vel impatientia se ferre agnoscat; si cruci  
 affixus fers patienter propter Domini ordinationem, iam à dextris Domi-  
 ni crucifixus es cum Domino; si impatienter: à sinistris Domini es cruci-  
 fixus, an non ad hoc significandum tibi vtile fuit, te tibi ante oculos suos,  
 tam crasso caractere depingi?

Domine Iesu gratias ago tibi, quod pro meo bono inter duos latrones  
 crucifigi voluisti, valde inde proficio, siue æquo animo & sano, siue  
 præuaricante seram cruce meas. Tu Deus Angelorum mediator & homi-  
 num, qui pro nimio erga nos pietatis ardore, inter duos latrones in cruce  
 pendere non erubuisti; respice super hanc familiam tuam, nosque à maligno-  
 rum fortibus erutos, tibi que in cruce confixos; inter choros cœlestium  
 iubeas aggregari. Adimple & illud in me, bone Magister, in quo mihi spem  
 dedisti, cum diceres, cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum, tra-  
 he me Domine, confige me tibi, vt totus mihi figaris in corde, qui pro me  
 totus fuisti fixus in cruce.

§. 225. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt. v. 34.

Incipit hic Christus breui moriturus condere testamentum, & ultimam suam declarare voluntatem, & primo omnium elevat mentem ad Deum Patrem suum, ad nostram doctrinam, & ait Pater, quo facilius eum fleat ad misericordiam, quasi diceret; memento te esse Patrem, non meum tantum naturalem sed & omnium creaturarum, maxime rationabilium, etiam peccatorum, secundum naturam eorum, monstra nunc te illis non Dominum, non Deum, non iudicem, sed esse patrem, siquidem ad tanta scelera inimicorum meorum condemnanda paterna benignitate opus est mihi. Filio ergo tuo dona offensas omnium in te commissas, non potes hoc negare tali filio, in talibus circumstantiis oranti.

O Domine, ista oratio tua, ad patrem ex cruce transmissa, est valde brevis sermonis contextu, sed valde turgens sensibus & affectibus præclaris. Ego similem in tanta brevitate non vidi, nec audiavi ante te esse usurpatam. Non miror igitur tibi totum genus humanum, & Dominium omnium in cælo & terra, esse donatum à Patre, qui tam admirabili eloquentia apud Patrem perorasti. Meruit Herodiadis filia saltando concinne dimidium regni, meruerunt alii alia munera & præmia pro suis quibusdam dictis, uti Virgilius & factis, uti Heroes statuas quasdam honorarias, sed tua oratio omnium verborum inventionem, & consequenter etiam merito longe exsuperavit.

§. 226. Non enim sciunt quid faciunt. v. 34.

Si enim scivissent Iudæi Iesum esse Regem gloriæ, Christum non crucifixissent, si & peccatores nosset, quis essent, quam offenderent, utique non ita libere peccarent, si majestatem ejus & potentiam, si gravitatem & enormitatem considerarent; si animæ beatitudinem, quam perdunt, si inferni tormenta, quæ merentur, si strictum iudicium, quod effugere non possunt; si terribiliam terribilissimam mortem corde & animo perciperent, crediderim potius omnia tormenta mundi, contumelias & terrores parati essent sufferre, quam Deum, vel levissime offendere. Sed si modo, uti tunc crucifixores, nesciunt quid faciant, quomodo peccant cum peccatum omne supponunt libertatem arbitrii, & libertas requirat advertentiam ad malitiam vel bonitatem sui actus, relinquentem ipsum in potestate ad utrumque? dico, quod & sciebant scientia sufficiente ad peccandum necessaria, & nesciebant, tantâ scientia carentes, quanta opus est, ut pie ab animo benevolo excusati non possint. Hanc nescientiam eorum attendebat misericors Dominus non istam, proverbium est:

*Ve ferias. stipes quilibet aptus erit. Ita, vt pie excuses facile, si velis, prætextum reperies, amor enim aperit, odium aperit mala.*

**Q**uanta est in Christo caritas! quid non ex eo cogitauit? non attendebat ille, quod Iudæi toties audiissent & vidissent oculis se esse filium Dei: sed quod ad crimen augendum accusator adduxisset, id ad imminuendum Christus adduxit, imitare hoc, qui cupis esse beatus, cum Christo. *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

§ 217. *Diuidentes vero vestimenta eius, v. 34.*

Ante faciem Crucifixi Iesu, in conspectu piæ matris, quæ libenter magno ea emisset, diuidunt vestimenta Iesu Carnifices, quæ pia mater forte fecerat ipsa & ei aptauerat, quæque sanguine ipsius Domini hinc inde, vt gemmis erant quasi interlinctæ Creuit etiam ex ista parte afflictio Christi, quod in manus talium hominum sanctissima illa ornamenta deuenirent, non honesta largitione, sed forte ac fortasse primo dilceptarunt de partitione, demum cum partes æquabiles ex toto apparatu fieri non possent, & ad contentionem vergeret dilceptatio, sortes adhiberi visum fuit,

**E**cce anima mea quam sollicitè crucifixores tractant de vestimento crucifixi, ille etiam meliora multo parauerat eis, corpus nimirum suum dare in Sacramento gratiam in spiritu, &c hæc non attenduntur, vti pannorum assumente quaruntur. Sic fiet etiam cum tuis rebus, quando morieris hæredes tui valde anxij erunt de pannis & supelletilibus & nummis, de alijs nihil. Vix oculos claudes in morte, cum ad clauces, & cistas peruolabunt &c.

§. 228. *Miserunt sortes. v. 34.*

Quanam illa pauperis Christi fuerint vestimenta, tot numero, & pretio tanto, vt & ea amauerint milites, & super amatis artes potuerint facere, ad S. Marcum dixi fuisse nimirum Albam donatam ab Heroode, purpuream, chlamydem à Pilati domo, & talia præter pallium & tunicam & sudariolum seu mappam & similia necessaria, quæ ipsemet ex horto ad domos Iudicum suorum attulerat, neque enim sordidam pauperatam Christus coluit, sed honestam aptam fini suo, gloriæ Dei, zelo animatum, exemplo futuri sæculi. Adde, non carere mysterio, quod vt Caiphas sua dirupit vestimenta, tunica vero Christi seruata fuerit integra: iste enim fuit Iudæorum Pontifex, cuius sacerdotium protinus erat scindendum, & in

*sortes*

fortem illius substituenda mater Ecclesia, quæ Christi vestis dicitur, & usque ad sæculi consummationem mansura integra. Dices: hoc tempore calamitosa à Christi hostibus scinditur & laceratur, quia veram orthodoxæ fidei doctrinam evertunt, ut eam suis affectibus depravatis conformem reddant apostatæ. Equidem fateor, & huc atque illuc agitur variis eorum seismatibus, sed soliditas ipsius per Christum servatur in illis, quos ipse elegit & in sedis Apostolicæ obsequio conservabit, pro qua Christus ait; Petre rogamus pro te, ut non deficiat fides tua. Nihil est temeritate eorum sceleratius, qui boni haberi cupiunt, & interim vestem Christi quam milites integram servaverant, dividunt, cum fieret vestimentorum Christi partitio.

**A** Mantissime Domine, adjuva sponsam Ecclesiam tuam, quæ contristata supra modum, passim ruitura affligitur. Quot sunt qui se ipsos ab ea segregantes, quantum in illis est, sibi dividunt tua vestimenta? Hos nos pati oportet, quamdiu tibi placuerit. Verum ô Pater misericordiarum integra maneat benedicta tunica tua inconsurilis, quo unitas Ecclesiæ inviolabiliter serveretur, ne charitas vera qua tu & Ecclesia utriusque & sponsa unum estis, unquam labefactetur. Stet semper in conspectu tuo ut non gradatur obliuioni. Ambulet coram te, ad tuam Sanctissimam voluntatem semper adimplendam. Admitte illam quotidie in thalamum tuum ad perfectam ibidem semper hauriendam doctrinam qua proles suas indies instruant. Largire & mihi gratiam ut tanquam filius obedientiæ, et tanquam veræ matri, me semper subiiciam, & non aliud optem, cogitem, cupiam, loquar aut agam quam ipsa, à te sponso suo edocta, mihi imperet, aut mandet, ut in omnibus tuo exemplo cum ipsa patiar, & pugnem, & cum ipsa post hanc vitam, per te in perpetuum exultem & læter. Nam si hic cum ipsa non inueniar in gratia, non potero cum illa.

§. 229. *Et stabat populus spectans, v. 35.*

Hiante ore, oculis fixis, tam in Christum, quam latrones, tam iustos quam principes sacerdotum; quid Christus circa extrema dicturus, facturusque esset operiens, quo modo & quo tempore moriturus esset. Latrones similiter, quid quisque dicturus & quomodo moriturus esset, ut fieri solet in publicis rerum suppliciis, imo universim, ubi aliquid novi fit, aut ædificando, aut pingendo, aut litigando, emendo &c. ibi populus libentissime spectat, ut Athenienses semper ad aliquid novi erant proni. Iste appeti-

Y

rus



tus spectandi à pueritia se prodens, videtur à natura inditus esse, quod sensus nostri perceptione objectorum quasi mulceatur, juxta illud Aristotelis, omnis homo naturaliter seire desiderat. Accedit tamen sæpe ad hunc naturam impetum amor ferendi, imo otiositas.

**E**gredere & tu anima mea, egredere & contemplare in monte Calvaria in Cruce pendente Iesum, considera & intue bene & exactè ora ibi dignum objectum est. Ecce beatos pedes, venerandas manus, benigna brachia, amabile pectus, humiliter projice & adora, quia Deus est, etiam cum Maria pedes osculare, quia summus pontifex est, huius manus prehensa, quia dominantium Dominus est, in brachia huius in vola, quia pater est, in huius pectus incumbere, quia sponsus est. Inspice vulnera pendens, viscera miserentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Hæc quanta sint cogita, hæc in statera tui cordis appende: ut totus tibi figatur in corde, qui pro te totus est affixus in Cruce.

§. 230. Et deridebant eum principes cum eò, v. 35.

Principes & populus, Dominus & servus, Rabbini synagoga & scribæ in Lege docti, cum suis discipulis seniores, cum junioribus pueri, civis Solymorum & exul omnis natio & populus, gentilis & Iudæus: eum populi ductorem, impostoremque vocitabant. En egregium sane Regem Iudæorum: En egregium Messiam & similia, ridicule vociferabantur. Alii thesauros ab eo requirebant, antequam moreretur. alii ubi regni sui proceres essent. Alii adorantes simulate orabant ab eo promoveri ad officia. Alius dicebat: quid iste esset filius Dei: filius Diaboli. & talia horrendaque ac tacenda. Denique etiam garriebant, ecce nunc sedem majestatis occupat inter duos Iudæorum nequissimos. Et qui Cæsari tributa dari tam sollicitè defendebat, iam Cæsaris autoritate sentit sibi tributum mortis imponi, iam à Cæsare sui favoris in ipsum indicem remunerationem promotionem accepit.

**O** Anima Deo dilectæ, nolite obsecro scandalizari in eo, qui in signo à deo maledicitur, iste brevi regnabit à signo. modicum expectate & facies vestra non confundentur. Ista probra sunt semen gloriæ iam, iam & hac die secutura & manifestanda. expectate feramus moram breviculam abundantia præmij compensabit doloris intensionem.

§. 231. Dicentes: Alios salvos fecit, v. 35.

Yti in comædis quivis proprium peculiaremque modum perferat

suæ exhibendæ congruentem habere solet; ita in hac actione plebs & principes eius ad calumnias, injurias & blasphemias Christo irrogandas sese gravissimè exercent, ratiocinantes tanto majorem se honorem relatu- ros, quanto immanius Christum calumniari potuissent vnus dicebat: *Alios saluos fecit, se ipsum saluum faciat*, si operæ pretium velit facere in salute dan- da. alii dicebant: *descendat nunc de Cruce*. Alii dicebant: *se filium Dei vocarit, quare nunc non liberat eum: iste Deus? alius dicebat: si tu es Christus, descende nunc de Cruce*. Quorum autem hæc? Et ejustam manifesta miracula, quæ videri potuerant esse diuina, non pro miraculis veris habeantur apud populum; sed pro præstigijs & fascinationibus, apud te ita cogitantes: si non se saluum faciat, descendendo de Cruce, quod non faciet, quia uti Christus Messias mundi Saluator manebit in Cruce: saltem persuadebimus populo eum non esse Messiam, & per consequens nulla vera miracula perpetrasse, & ita impostorem fuisse, & bene à nobis adjudicatum morti.

**E**Cce, venisti anima mea ad locum jaculi: *Ecce ibi est sagitta porro ultra se, id est captam quidem tuum multum excedens siue spectes intelligentiam, siue praxin & sequelam. Sed confide, si Dominus quærete dabit, etiam dabit inuenire & colligere & intelligere, festina igitur velociter, ne steteris collige sagittas & adfer ad Dominum tuum omnia enim hæc ad tuæ salutis augmentum sunt, & ad eius laudem & gloriam, qui pro te pertulit uniuersa. Ille permisit sibi sua benefacto exprobrari, ne tibi tua male facta, post baptismum, post pœnitentiam in suo nomine dandam, exprobrari possent, &c. etiam ut ferre posses, si quandoque de bono opere lapideris, gratiam procuravit.*

§. 232. *se saluum faciat. v. 35.*

Verbum est irrisorie permittentium, hortantium, imo petentium, etiam impetrantium, nempe, si potest. non potest autem. etsi vellet, nimis arctè illum clavi tenent &c. Ficta fuit salus, quam alijs dedit. detectæ sunt veritatæ eius, in nostro examine. Plebs simplex delusa est, nos penetravimus fundum imposturatum, ut omnes vident, imo ipse sentit & per- sentit.

**E**Cce, anima Christiana, Deus tuus est passus calumniam, quid tibi simile illius exprobrationibus potest evenire? & tamen ille tulit, ta- ceendo. Quid tu facies? imo quid facis in minoribus multo casibus? clamas, imple civitatem, quiritaris per viciniam omnem, Dei hominumque fidè obtestaris & excitas. Sed neque ab igne cœlesti à tonitru & fulmine, à  
V 2
gran-

grandine & legionibus diabolorum imprecandis te tenes. O quantum chaos est iater te sic agentem & inter Christum Dominum sic patientem!

§. 233. Si hic est Christus Dei electus. v. 35.

Ultima & acutissima maligni suggestio est ista, qua tentator ut olim conatur elicere, an hic homo sit ille propter quem, in cælo à se contemptum, ex cælo est præcipitatus Magna tentatio, cui si Dominus non responderet, videbitur negare quod antea affirmauerat toties nempe se esse principium, missum à Patre Salvatore &c. sed, ubi quivis nostrum impegisset, ibi Dei sapientia pervasit. elegit aliud tempus ad respondendum, aliud ad tacendum. Sciens, quod qui tacet, neque affirmat, neque negat. Ista Regula juris usus prudenter serpentis sibilum profligavit.

**E**Cce anima mea, nihil Domino tuo potuerunt impij improperare, nisi quod sanctum est & divinum, mortuos fulcisse, agros sanitati restituisse, alios salvos fecisse, mira operatum esse: Hæc autem magis congruunt eius exaltationi: quam opprobrio: lætare, quia Sanctus est Salvator tuus, etiam inimicorum suorum approbante lingua.

§. 234. Illudibant autem ei & milites, accedentes. v. 36.

Vel milites istac iter habentes, quæ res sunt nobiles, equites, armigeri, conductitii, prædicatorij in vicinis Hierosolymæ castris, vel viarum custodes contra prædones: vel milites cohortis positæ cum centurione ad custodiam supplicij, arcendumque tumultum, si quis pro supplicio afflicto assumeret zelum, vel egressus è civitate intenteret spoliū. Solent talem tales longius collocari, ut obequitantes circumspicere & libere extraneam commutare & terrere possint. Hi igitur qualescunque fuerint audientes risum plebis & principum, accesserunt subinde & per vices, ut & ipsi audirent viderentque propius, quid istic ageretur ludicri & ridiculi, adhæc enim audienda videndaque homines sunt valde proni maxime otiosi homines. Forte etiam alio modo accesserunt, irrisorie nimirum, porrigentes manum apertam, ut à novo Rege, in solio regni sui sedente iam, vel in tribunali, in quod eum levaverant, pro gratia tali, acciperent donativum vel congiarium more Imp. Romanorum dicentes, Ecce serenissime & Clementissime Rex, nos te creavimus & promovimus in Regem, coronavimus, in pompam tecum exivimus, & parati sumus ad prociendum belli tecum gerendi, donativum poscimus. Talia cædo plurima per ordinem esse factitata ab isto hominum genere, quod non solet esse simplex in scurilitate & vexandi modis.

Dominus

**D**omine Iesu misereor tui in tanta afflictione, supra humanum captum attentata, sed tu dixisti, ut magis misereretur animæ meæ, quæ in talis opprobrijs æternitatem incidere potest. Ecce Domine hoc facio, quæ unquam male egi, dixi, vel cogitavi ea detestor, & auersor, & confitebor, & expiabo.

§. 235. *Et acetum offerentes ei. v. 36.*

En Fabricator fontium, & mellis, & lactis & saccari & aromatum: Dominus & vini & sicera & balsami, iste potatur aceto. Sed quare aceto? & quidem antequam diceret *fitis*: Quomodo hoc inuentum venit in militum mentem? quid eis cum aceto? Credo sanè quod videntes illum ad omnia tacere, & præ verecundia faciem ante se demittere, opinatur fuisse quasi animo deficeret, siue deliquium pateretur, & sic ad conceptum aceti peruenisse, nisi aliud acius acumen subit huic aceto! Sed ista excitatio per acetum & confortatio cerebri, si vere ei necessaria fuisset, & ab illis intenta, tamen ad maiorem acerbicatem tendebat, ut nimirum viuacius audiret opprobria sua, & sic oblatio ex se bona in eo casu fiebat mala, ex intentione præbens.

**O** Deas! quo non est progressa tua adiuventio? nimirum in patiando per maliciam hominum. Certe offensas Dei in te satis expiasti. iniuriam Dei vltus es in te, quia ipsa infirmorum solatia versa sunt tibi in tormenta. Tibi igitur gloria sit æterna ad Patris dextram. Amen.

§. 236. *Et dicentes: si tu es Rex Iudæorum saluum te fac. v. 37.*

Ut milites placerent Iudæis, etsi ignorarent vim calumniarum & argutiarum, quas effundebant Iudæi, ipsi tamen repetendo imitati sunt, & sic Dominus noster scandalis istis Gentium, quæ à Iudæis accipiebant, etiam cruciari debuit. Neque sane leuis est punctura animi, si hi quoque ex inimicorum ore opprobria dicant, quæ ipsi non intelligunt quæ effutiant. Toleramus, si inimicus maledicit nobis; si pueri & fatui inimicos, maledicentes imitantur vehementer certe compungimur, vulneramur & dure in animo angimur.

**D**omine ista & talia omnia venerunt super te, quasi pluuia, & ideo es dignissimus, qui tanta in cruce passus, toto orbe terrarum nunc honoreris in cruce. Bene igitur Ecclesia Romana sancit, tibi vsum frequentissimum crucis & Crucifixi, etiam in coronis Regum & Imperatorum. **O Domine per crucem tuam prosperè procede & regna contra iconoclastas,**

V 3

contra

contra Calvinistas, Turcas, Iudæos, qui tuas cruce demoliuntur, ut diabolo præstent gratiam, auferendo id unde ille dure cruciatur. Nos Catholici contra osculamur, portamus, in altariis, in oratoriis, in domibus, eam collocamus. Vicisti in eo signo, & vicit in eo Constantinus Magnus, & post vinctus ideo mane, vespere, ad cibum & potum, ad ingressum, ad egressum, ad omnia negotia, cruce (vix Tertullianus de suo tempore, iam vinctum fuisse testatur) armamur.

§. 237. *Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis & Latinis & Hebraicis. v. 38.*

Scripta, à potestate habente Pontio Pilato Præside, ex more Romanorum, ut sciretur nomen crucifixi & causa supplicij, ac ne exitus in aeternum supplicium illud inferri ex tyrannide aut iudicis malevolentia, sed ex iniuræ æquitate; nec sine diuinâ dispensatione iste mos inoleuit, ut per hanc inscriptionem fidei nostræ obiectum Christus præscriberetur, & quod pro nobis ille esset crucifixus. Triplici autem idiomate Hebraico, Græco & Latino conscriptus fuit, singulis totus. Porro hisce tribus nempe pluribus linguis fuit scriptus, ut à pluribus legeretur. Tunc enim, ut constat ex Actis Apostolorum, in Hierusalem erant viri habitantes ex omni natione, quæ sub cælo est; quia ergo diuerso tunc loquendi atque scribendi genere vivebantur incolæ Ierusalem, ideo & nunc Pilatus Principalibus in linguis, quod Deus volebat, scripsit, & Apostoli postea in Pentecoste varijs linguis sunt vsi. Sed cur præcipuè tribus linguis Iudæica, Græca & Latina? quia istæ linguæ ob nationes quarum sunt erant clariotes, Hebræa quidem vti illius Prouinciæ propria & vernacula. Græca, tanquam regalis Orientalium Prouinciæ, quæ trecentis annis sub Græcorum fuerant imperio & sic affluenter in iudicijs & curijs linguæ suorum Principum, quos ante paucos annos, cum hæc fierent Romani sub egerant & de regalitate sua depulerant. Latina, quia hæc lingua, deiectis Græcis, iam cõperat ibi esse Regalis breui Græcam subactura & eliminatura. 2. Quia istæ tres linguæ erant linguæ omnium populorum humani generis. Omne enim genus hominum aut ex Sem aut Iaphet, aut Cham Filijs Noë prognatum creditur. Iam vero Hebræa erat ex Semitis, Græca ex Chamitis, Latina ex Saperigenis vti constat ex vetustis gentium originibus & propagationibus. 3. Iste tres linguæ sunt fontes aliarum linguarum, ut indicaretur ergo Iesum facturum omnium linguarum Principem, & omnium linguis colendum ac confiteendum, iuxta id Apostoli ad Philip. 2. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est. Dei Patris.* Cum ergo omnium interesset scire crucifixum

zum, etiam omnium Gentium linguis fontalibus à Pilato Iesus Christus in cruce est promulgatus & predicatus.

**A** Nima n. ea titulos, & magnificis titulos Intuiffimi, Sereniffimi, Potentiffimi, Illustriffimi, Nobiliffimi. Item Sanctiffimi, Eminentiffimi Reuerendiffimi &c. Sed nullus horum nec omnes isti habent vim, quam iste habet: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Iste demones fugat, Infernum terretur, mortem vincit, iste vt amuletum sacrum adhibetur Christianis, cum dicunt, *Titulus Iesu triumphalis defendat nos ab omnibus malis.*

§. 238. *Hic est Rex Iudæorum. v. 38.*

Licet homo Ethnicus esset Pilatus, imo iam paulo ante iniquissime egisset donando Iudæorum voluntati Iesum, hunc tamen titulum ex S. Spiritus instinctu, ad ignominiam quidem & dedecus Iudæorum gloriam vero & triumphum Christi decessit, 1. vt iniquitatis suæ maculam abstergeret vel potius velaret, specie benefacti, vt qui Iudæos Regem recusantes audisset, & ab ipsis regem amouisset, quem nolissent pati. 2. vt Christo aliquo modo satisfaceret pro iniurijs, quem contra Iudæorum voluntatem regem declarasset, & sic ei saltem hoc solatij daret quod sub titulo regio moreretur. & ideo etiam Iudæi hanc inscriptionem valde impugnarunt. Sed irritò conatu. Optabant illi, vt scriberetur, *quia ipse dixit se esse regem sed Pilatus contra aiebat. Hic est rex Iudæorum*, an autem ita dicitur quoque scripserit, *per verbum Est* signanter adiunctum, nemo ex ijs qui titulum crucis Romæ olim viderunt, asseruit. Siquid Lucas sententiam Pilati asseritiam descripserit, etsi verba ipsa ad litteram non depinxit. Voluerunt illi contumpere scripturam, aliter scribendo mox cum id non possent aliter exponendo. Sed Lucas præuenit eorum malitiam, sententiam Pilati posuit, ne Iudæus posset contra Christianum nugari. Valet verbum Iudæi longe absentis, certe plus valebit scriptura Lucæ, tunc præsentis.

**D**omine, omnia bene fecisti in sapientia tua, in pondere, numero, & mentura, non potest eis aliquid addere homo, sed nec demere sine tua autoritate. Benedictus es in throno gloriæ tuæ. agnosco Domine regnum tuum, regnum omnium sæculorum, & Dominationem in omni generatione & generationem, nobis ita Christiano nostro nomini respondere, vt fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vitæ fateatur, vt ad regnum tuum feliciter peruenire valeamus.

§. 239. *Vnus*

§. 239. *Vnus autem ex his, qui pendebat latronibus blasphemauit eum. v. 39.*

Cum Christus Dominus omnibus hæcenus admotis machinis diaboli & inferni arietatus, nondum frangeretur, nouum tormentum insolens & inauditum adinuenit, nempe vt vnus sceleratorum à sinistris pendens latro in cruce, cum Domino etiam altercaretur plane sine causa, sine ratione, proscindendo eum & calumniando, cum potius deberet ob locietatem in pœna habere aliquem affectum bonum. Solent enim ægri & captiui captiuis, & similis fortis suæ fortis hominibus magis favere, ex gr. quam diu aliqua persona est ancilla, fauet ancillantibus magis, quam dominantibus si eadem fiat Domina domus iam fauet Dominantibus contra ancillas. Itaque iste latro post omnes suas nequitias plane naturæ cursum in se abnegauit, & ideo singulariter iudico, eum à dæmonio fuisse illa hora gubernatum, quando ita contra naturam egit, & forte, dæmones Iuda iam dirupto in hunc nouissime intrauit.

**O** Domine, quid hoc est? nonne satis erat Principes Sacerdotum & populi, cum Scribis & Phariseis, totaque spectantium turba, tibi illudere, & statum, personam, conditionem, doctrinam, miracula, ceteraque omnia in te lacerare, nisi & hic homo vilissimus & perditissimus latro, in eadem tecum damnationis pœna constitutus, diabolica te lingua conscinderet? O quam grauius hæc blasphemiam & maledicta manuum istius Iesu cor sauciarunt! nam maledicta coniecta in calamitosum hominem, & miserum, magis pungunt, quam ipsa calamitas, tantoque penitus dissecant cor, quanto naturalius & misereri miserorum, quam eis insultare. Domine propono nunquam afflicto, addere afflictionem, maxime, si sem in eadem afflictione cum alio. hoc enim nimis est diabolicum.

§. 240. *Dicens, si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. v. 39.*

**O** peruerse & perditè homo, cur tu sic loqueris? an putas te gratiam aucupaturum apud Iudæos blasphemantes Christum? frustra, ipsi non sunt Domini terræ, vt possint te liberare, sed Pilatus. iste autem magis fauet Christo, & eum tamen non voluit liberare. An os te vis tempus, quod tibi longum sit eo modo breuiare & mollire? Ah! isto modo id non allexeris, sed cruciatus corporis augebis noua crucifixione conscientie tuae. An forte efferatus es, vt instar canis rabidi mordeas quem primum potest an quia ceteros calumniantes Christum times, ideo Christum patientissimum aggredieris, impune aggressurus eum, non alium ita? sane tunc adhuc

ratione vteris, sed ea pessime vteris, contra rationem, quia ideo aggredi aliquem, quod in iis sit, est esse malum, quia alius bonus est.

**D**omine nescio quid de hoc furcifero dicam. Certe ille dignum ostendit esse, qui de terra viventium abraderetur & poneretur cum blasphemis, praesertim, cum, quantum in eo fuit, alterum latronem conatus fuerit incitare, simulando se in eius favorem loqui, dum ait, saluum fac te, & nos. plus de hoc homine, quid dicam, nescio, interea miror ego potius, Domini mei incomprehensibilem patientiam in omnibus tormentis & ludibrijs; sapientiam in verbis, bonitatem in manifeste & peruerse aduersantes, virtutes omnes, naturae caprum.

§. 241. Respondens autem alter increpabat eum. v. 40.

Providit caelestis Pater, ut, dum vnus pendentium in cruce blasphemaret omnium indignissime Dominum N exciraretur (spiritus alterius latronis & tacentem ad omnia Dominum defensare inciperet, & tacentibus ceteris omnibus qui circumstabat, iste quasi ex Cathedra vel suggestu caput fieri Aduocatus & Procurator Christi. Sed vnde huic latroni tanta bonitas, ut qui in homines erat grassatus, cum liber erat, nunc victus & morti propinquus incipiat contraria studia & tam repugnantia priori suo instituto? Credo quod lumen naturae sequens, vidit in Christo illam admirandam taciturnitatis gratiam, & contra furiosum modum agendi Iudaeorum, & sic dispositus fuit ad ulteriorem illuminationem & rectitudinem voluntatis, & confessionem oris.

**D**omine, quando non facio recte, obsecro permittite me in admonitionibus tribulationes incidere, ut contigit huic latroni defensori Christi, & in his ipsis lumen bonae mentis sequendo ad tuam gratiam ampliorem me disponere. nunquam oppresso insultare, magis autem defendere, si utiliter possit id fieri, & sic te Dominum in tuorum vni te colligere, solari, vestire, potare.

§. 242. Dicens, neque tu times Deum. v. 40.

Hoc exordium mihi videtur indicare, hunc hominem iam apud se de Christi Domini perspecta innocentia cogitasse, atque Iudaeos in animo suo tanquam impio & timoris divini oblitos damnaasse; vnde eidem sententiae socium latronem sese iam implicare subindicat, exprobrans ei quasi diceret: istos Iudaeos utpote sanos, liberos & petulantes potui tolerare, quod maledicebant, quia multum habent temporis ad poenitentiam, vel saltem videntur habere; te vero, qui iam stas in limine mortis & vitae,

X

galia



taliam facere non est ferendum. Pudeat te, vel nunc non timere Deum, datus sentis eius manum,

**E**N vera fraternitas, vera caritas & zelus animarum, quo, quis quaerit salutem alterius; fratres erant ambo, saltem latrocinio, & in malis, desinit hic esse socius in malo, & alterum allicit, ut ambo sint socij in bono, ambo sancti, ambo fratres in timore Domini, ut sint pietatis cultores ambo, qui socij malitiæ fuerunt. Querit hic ut sint iustitiæ filij, qui erant antea diaboli. Operam dat, ut sint filij Dei, qui erant ambo socij damnationis, studet hic ut fiant ambo salutis æternæ participes, & ideo hortatur alterum, ut agnoscat Deum & reuereatur per verba. *Neque tu times Deum?* Considera Christiane miles, quomodo hic fidem astruat ex initio sapientiæ, timore Domini.

§. 243. *Qui in eadem damnatione es? v. 40.*

Scilicet mortis per sententiam Pontij Pilati Præsidis irrevocabilem & quidem morti iam proximus, qui iam Dei digitum sentis, & alijs liceat, malitia & corde perverso esse quando valent, & in delictis sunt, in cruce impium esse, excedit omnem modum humanum. Cum potestatem ille habeat & corpus & animam tuam perdendi in gehennam ignis. Itaque rogo te, si frater esse porro vis, respisce; agnosce Deum tuum tibi præsentem, iam pro te patientem & moriturum, pete gratiam eius, pete veniam mecum peccatorum tuorum, dum vivit ille adhuc in tormentis, dum operatur sanguis eius & tu vivis ne facti pœniteat. Dum mortuus fueris, inter tempus nascendi & tempus moriendi medium est tempus acquiriti gratiam Dei, & tempus perdendi. Istum terminum si transferis, præoccupatus morte spatium pœnitentiæ invenire non poteris. His & similibus pijs admonitionibus & argumentis conabatur latro bonus fratris animam lucrari, nobis in exemplum illustre, ut quando rationabiliter possumus, nullum non lapidem moneamus ad vnam saltem Christo animam lucrandam.

**O** Deus qui & mihi representas in mente terribilia illa hominis extrema, & felicitatem æternam sanctorum. An moueor? induratum saepe est cor meum, plus quam Pharaonis, non volo dimittere delectationes meas illicitas, non volo relinquere affectus carnis, vere cum sic constitutus sum: tunc ego sum sicuti iste impœnitens latro. Sed ô Deus conuerte me obsecro tunc, & fac ut sim sicuti latro alter, increpëm me, & vindictam sumam de me, infligendo ieiunia mihi, disciplinas, ciliciorum asperitates, & similia.

§. 244. *Et nos quidem iusti. v. 41.*

Iustus accusator sui est, ait scriptura, mira sententia, vera tamen nam per fidem iam iustificatus primum agnoscit, sicuti latro bonus, & confitetur peccata sua, & innocentiam Christi, & contritus de his, libens recipit pœnitentiam & pro satisfactione crucis mortificationem, confusionem & tormenta huius vitæ tolerat & exemplo est alijs ad conversionem, hinc exaggerat peccata sua dicendo aliquando etiam coram hominibus, ea gravissima esse, & pœnam maiorem meruisse quam ferat.

Salve latro, salve pœnitentium exemplar. Tu melius ostendis viam salutis quam Apostolus Christi Iudas, iste ex Apostolo factus est Dux volentium vitam. Salve ego te sequar in pœnitentia, qui secutus sum in impœnitentia. Latrocinatus sum ego, pro dolor, animam meam peccatis occidendo & aliorum animas scandalum dando. ecce pœnitentiam ago, & iam incipio.

§. 245. *Nam digna factis recipimus. v. 41.*

Pergit latro bonus prædicare ex sua Cathedra & tacente principali magistro propter causas ratiocinabiles sub magister pro eo verbum bonum eructat quod principalem Magistrum loqui non quadrabat, nempe confessionem culpæ, cui debita sit pœna, quam portant, quasi diceret, iusto iudicio & ordinario processu, damnati sumus, quia fures & latrones, bonorum spoliatores fuimus & vitæ hominum præter innumera alia peccata de quibus coniuncti iudicialiter & confessi. hic autem Iesus sanctus segregatus à peccatoribus nulla contra eum allato testimonio veraci, neque confessus, sed tanquam ovis innocens ad victimam ducta, per aliorum invidiam & peccatorum in hac specie damnationis reperitur, & ideo tu peccator non habes ius ipsi improperandi damnationem.

Vide quantam suorum criminum cognitionem habuerit pius hic latro, quantoque eorum odio tactus sit, dum ait, *nos quidem digna factis recipimus!* comprobatur iudicium sententiam, eique subscribit, libenter se mortem subire profiteretur: deinde non timet irritare Iudæos, à quibus iratis tunc maxime omne genus ludibrij & cruciatus expectare poterit, maxime cum alter latro contraria via gradiebatur, qui, ideo, ut credibile est, conuitia in Dominum tam acerba iaciebat, ut ea ratione Iudæorum sibi conciliaret benevolentiam, quod tamen iusto Dei iudicio non obtinuit, At hic, cuius cor tetigerat criminum suorum dolor,

nihil magis cupiebat, quam quidquid vitæ reliquum haberet in emendandis peccatis insumere, erat in lucro positurus si ob eam causam a ludæis atrocius plesteretur. O quam diuersæ sunt viæ hominum! & quam dispares consequenter exitus eorundem!

§. 246 Hic vero nihil mali gessit. v. 41.

Vnde quæso tibi ô latro, ruri solum & carceribus, assueto ista cognitio & iudicium? ut scias hunc nihil mali fecisse! miror, an tibi hoc cœlestis Pater reuelauit? an argumentis quibusdam & discursibus ernisti? an in eo innocentiam dare es intuitus? Certe nescio quomodo ad illam scientiam perueneris, gaudeo tamen quomodocunque perueneris, te peruenisse eo, quia mihi profuit valde tua cognitio & coniuncta ei confessio, imò toti mundo, qui singulis annis audit eam confessionem & gaudet in Deo suo, Iesus, quod à te clamantibus impijs contrarium, est innocens declaratus.

**D**omine Iesu da imitari quem colimus pium, latronem sanctum, ut qui infirmitatis nostræ conselij de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus, dixisti enim, bone Iesu, Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum, Ecce exaltatus es. Ecce traxisti latronem, trahere, trahere & me, Domine: trahere oculos, ut nihil iam libeat, nisi vel te, vel propter te videre: trahere intellectum, ut nihil deinceps arbitretur se scire nisi Iesum Deum suum & hunc Crucifixum: trahere voluntatem, ut nihil deinceps aut amare aut amare possit, nisi eum qui se tantopore dilexit. Trahat, imò & urgeat me Domine Iesu charitas tua, ut iam non sibi viuaturus tuus, sed ei cui plus mille vitas debet, qui pro ipso mori dignatus est. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, sagittasagitta illud iaculo cordis tui ut fiat cor secundum cor Dei sui, sicuti factum est latronis sancti.

§. 247. Et dicebans ad Iesum: Domine, memento mei. v. 42.

Cum iam bonus latro aduerteret se oleum & operam perdere in latrone consodali, nec spes vlla affulgeret conuersionis post tot effluces, & pias admonitiones, increpationes, argumenta ad hominem, sed ipsum permanere corde obstinato, in sua peruersitate & malitia, cogitauit non negligere propriam animæ salutem, relicto suo socio, & convertit se ad Dominum corde, ore & oculis, videntque eum oleo tendente ad occasum, Christum quoque tendere ad mortem

mortem exhaustis plane viribus, & jam inclinare sanctum caput ad emittendum spiritum, acclamavit pœnitenti corde & petiit gratiam eius, dicens: *Domine memento mei*, antequam hinc discedas me relicto. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis meæ*; sume me tecum, ut tecum vivam & non moriar morte æterna. Agnosco te omnipotentem Dominum cœli & terræ maris, & omnium, quæ in eis sunt. Quidquid enim habent terrarum Reges & principes, Comites & nobiles tanquam feudatarii habent, mutuo habent, & ad tempus, *in manu autem tua omnes finietis* ra in sempiternum, insuper Cœli Cœlorum agnoscent te solum Dominum. Quamobrem, Domine Univerſorum, memento mei ut tecum esse possim in regno tuo, tibi ibidem servire, te laudare & benedicere in sæcula sæculorum, quia tu solus Dominus, tu solus altissimus, bone lesu.

**O** quam bona est ista oratio, præ sermonibus sacerdotum & scribarum. Ista sonet sæpe in auribus nostris. Ista sapiat in corde, ut suo tempore sonet in ore quoque nostro ad laudem Dei & nostram salutem, Domine &c.

Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quoniam elevata est magnificentia tua super Cœlos, ex ore infantium & lactentium perfecisti tandē, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem diabolum & satellites. Obsecro te fac & me agnoscere te & laudare nomen tuum Domine, uti laudavit iste latro pœnitens.

§. 248. *Memento mei cum veneris in regnum tuum. v. 42.*

Merito hæc sancti latronis vox mirifice commendatur, qui Christum esse Regem regum post mortem suam, agnovit, etiam cum sceleratis condemnatum, spinis coronatum, videns infontes eius manus, quibus nihil unquam mali admistum est, sanguinem stillantes: sacros pedes ejus, nunquam à justitiæ semita aversos, crudeli confixos clavo, latus nudum ac inerme, pulcherrimam faciem in quam desiderant Angeli prospicere, prorsus deturpatam & omni specie destitutam, cor denique benedictum quod nulla unquam impuræ cogitationis macula attigit, denique internæ afflictionis prælo compressum. Quid vero est quod postulat? Hoc non sedere ad dextram vel sinistram, uti Ioannes & Iacobus postulabant, sed solum *Memento*, quasi diceret innumera mea flagitia nequaquam admitunt ut ista petam; satis mihi fuerit qualemcunque tandem gratiam mihi exhibueris, non peto temporalia nec vita prolongationem vel liberationem de Cruce, sicut socius meus, cui similes sunt qui in ægritudine intendunt

X 3

Corpo

Corporis curam filiorum & divitiarum, de anima nihil aut parum curare, sed hoc unum oro: Memento mei. quid est Memento me? Parum est & multum. parum si spectes obvium sensum, multum si reconditum. recurrit mihi in mentem historia Patriarchæ Josephi, ille dicebat pincernæ Pharaonis, Memento mei cum tibi bene erit. parum erat hoc sono verborum spectato multum re, quia pincerna memor Josephi, in caula turris educeretur è carcere, vestiretur pulchre, audiretur à Rege, fieretque alter à Rege potens in toto regno, Parum ergo erat *Memento mei*, & multum erat, quid hic latro dicebat.

**O** Rex gloriose cæli & terræ, memento quæso & mei jam enim venisti in regnum tuum. O fili Dei qui sedes modo à dextris Patris cui memores miseræ animæ meæ, maxime in hortâ obitus mei, quæ in hujus mundi carcere captiva detinetur. Fac me audire clementiæ verbum, verbum illud consolatorium quo latronem erigebas dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quod utique confestim fiet si à me abstuleris nubem vitiorum. Tum enim mox tibi mea iungetur anima, atque in te requiescit, qui es Paradisus spiritualium deliciarum requies, & plena facieras beatorum.

§. 249. Et dixit illi Iesus. v. 43.

Notandum hic imprimis quam gratanter & apertis ulnis recipiat peccatores Christus Deus, & quam amanter se gerat in conversione eorum & audiat eorum desideria & preces ad se clamantes, & exaudiat humiliter & eis respondeat, ne diutius detineantur suspensi. iam potest loqui Dominus, antea, cum malediceretur erat quasi mutus & non habens in ore suo redargutiones. Audiamus igitur & nos sicuti Christus hic quamprimum audit, & respondeamus humiliter verbis & precibus eis condonantes ex animo, non ficto, quidquid in nos peccaverint. Confessarii vero recipiant humaniter vere pœnitentes qualescunque, ne desperent, aut animo despondeant, de veniâ peccatorum impetranda; sed spem veniæ promittant & vitam æternam, eos absolventes, sicuti Christus latronem scilicet pœnitentem absolvit in Cruce, tanquam Rex pontifex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech (& novi testamenti primus) à culpa & pœna. sed caveant & prospiciant sibi peccatores ne per hanc Christi gratiam & exemplum peccatoris sero pœnitentis decipiant se metipso, inferentes latro in fine vitæ maximam misericordiam à Deo consecutus est, vivam ergo in peccatis & perseverabo in eis ducens in bonis dies meos donec veniat reus: pus resolutionis meæ, tunc & ego convertar ad Dominum quem spero mihi pro-

hi propitiaturum, sicut & huic latroni, maxime cum non sit abbreviata manus Domini. Caveant inquam talia presumptes, & audite D. Aug. dicentem: *Sicut latro in fine veniam meruerit de omnibus peccatis suis, non tamen dedit baptizati peccandi & perseverandi in malo auctoritatem. Tunc enim primo baptizatus est baptismo fluminis, quia tunc primum confessus est. Ex singulari ergo privilegio factum est quod iste latro in fine dierum veniam obtinuerit privilegia autem non faciunt legem communem.* Hanc dico audite sententiam non vestram peccatores, nam vos optimo S. latronis exemplo impiissime abutimini, cujus conversio nobis ob oculos non depingitur, ut inde majorem peccandi licentiam sumamus, sed ad hoc unum proponitur, ut qui in multis offendimus omnes in extremo vitæ articulo nunquam desperemus. Sciant igitur omnes, quod qui spe veniam consequendi, offendunt, postquam Dei vocem audire contempserint, iterum Deum invocantes justissime non exaudiantur, nimirum qui Dei monita contemnunt, merentur vicissim ab illo contemni, exprobrante eis: *vocari vos manumque meam extendi & non fuit qui afficeret, & rursum, cecinimus vobis & non saltastis.*

**O** Domine Iesu qui in Cathedra Crucis existens stupenda tua patientia & admirando tuæ charitatis exemplo latronem mirifice ad te traxisti, adjuva me ut ad imitationem tui similia ego miracula faciam, proximos meos exemplis huiusmodi ædificans ut mali ea videntes compescantur, boni vero ad majorem perfectionem attendantur, dignare etiam ex tua gratia ad fidem veram, ad spem firmam, ad castum & Sanctum amorem voluntatem meam permovere, ut per hæc tua dona justificatus integer, perfectus, bonus & sanctus secundum tuum placitum in medio vitæ meæ, & in fine, tam in extremo die iudicii inveniar.

§. 250. Amen dico tibi hodie meum eris in Paradiso. v. 43.

Ecce paratum amabat de peccatis sero pœnitentem! quantum honorabat sui honoris defensorem, & recentem Martyrem adhuc pene madentem peccatis, & in Cruce pendentem Christus canonizat & ei iure jurando promittit delicias Paradisi, non cras, non post septimannam, aut mensem aut annum, sed hodie antequam hic dies transeat.

**O** Beatum Christi confessorem, quem tam brevi deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum Dei! ô felicem Martyrem, qui inter agmina Sanctorum hodie collocatur ubi in eum fruitur suavi Dei Charitatis visione!

**O** Ani-

**O** Anima mea, respira inter tot lacrymas paulisper a deo iucundis novis auditis. Attende hodie paradisi portas aperiri per fidem (spem & charitatem) Latronis unius. Animare ad tam iucundum nuntium, & vero Evangelium. Excita te etiam ô Catholicæ seu Romanæ professor Ecclesiæ. Christus ingentibus suis expensis redimit omnes, & quia latro iste redemptionis pretium sibi applicat per fidem, spem & caritatem, ecce ille intrat in regnum. Da igitur mihi fidei, spei, & charitatis augmentum, ut aperiantur & mihi Cæli portæ: operi mihi eas, Domine, aperiri quas mea peccata occluserunt, clavem tenes: occlude vero portas inferni, quas eadem peccata aperuerunt, in die mortis, ut, sicuti bonus ille latro tecum per veniam ad paradysum Amen.

§. 251. Erat autem fere hora sexta. v. 44.

Apud Iudæos hora sexta, ab ortu solis in æquinoctio, (apud nos est hora duodecima meridiana) Iesus est Cruci clavis affixus, & est cum latronibus deputatus & præ tormentis sitiens felle saturatus: occurrit mihi horarum discrimen in passione Domini annotatum. nempe hora prima Iudæorū (quæ est apud nos hora sexta matutina) ducunt Iesum ad Pilatum, falsi testimonijs multum accusatum in collo percutiunt manibus ligatum, vultum Dei conspuunt, lumen Cæli gratum: Deinde cum Germanis esse; hora nona ante meridiana; Crucifixe clamitant, hora tertiarum (juxta Iudæos) illis in duntaxat veste purpurarum, caput eius pungitur corona spinarum, Crucem portat humeris ad locum poenarum: & hora nona Iudæorum quæ apud nos est tertia pomeridiana Dominus Iesus expiravit, heli clamans animam patri Commendavit, latro eius miles perforavit, terra tunc tremuit, sol se obscuravit. Quid autem sibi vult hoc discrimen horarum? Basile est earum Horarum, quas ab Apostolorum tempore Ecclesiastici & Regiosi servant in officiis divinis.

**D**omine Deus rex cæli & terræ Crucifixe propter hominem, securator intuper cordium & renum, Iudex iuste, dignum & iustum est, ut te fideles tui per omnes horas laudent, & cum hoc non possint singuli opifces & aliter impediri curis suis, optime factum est, quod per elemosinas & oblationes pias constituti sint clerici, & religiosi qui semper die ac nocte laudent te penso horarum Ecclesiasticarum pro passione tua. sed & sexta hora diei vitæ meæ iam transit, quæ est virilis ætas, pro pudor & dolor & nihil boni operatus sum adhuc in ea, sicut nec in prima quæ fuit pueritia nec in tertia, quæ fuit adolescentia mea, ut exercerem me in virtutibus, & operarer in vinea tua, quæ est Ecclesia militans, item anima mea. Sed cheu  
oiole

otiose horas meas impendi, & loco laboris boni fuit in me sensum evagatio, inclinationes & affectus inordinati ad Creaturas, elatio, vana gloriatio, impatientia & alia peccata contra Deum, proximum, meipsum sive contra præcepta decalogi & Ecclesiæ. Omnes voces meæ ad laborare debuissent pro his, sed eo forte vel rato intendi animum, respicam igitur ab hoc intolerabili errore, & vel hodie incipiam tua gratia ad intus neglecto Corpore animam excolere. Nulla hora tera est ne quidem XI. imo nec XII, apud bonum Patrem familias ante erogationem.

§. 252. *Et tenebra facta sunt v. 44.*

Trium fere horarum spatio quo Dominus in Cruce pependit, etsi non adeo densæ ut nihil omnino videri posset, quasi Ægyptiæ vel morte media, alioquin omnes diffugissent, sed quales in crepusculo, ut milites se videre & alloqui possent, quanquam & stellas apparuisse tradit auctor de miraculis dicens: *Vti nox, qua Dominus natus est, in diem, sic dies qua passus est in noctem versus est, non enim ferre potuerunt astra conditorem suum in Cruce nudum, illisum à iudeis, agentem animum, ideo lugubres vestes induerunt, & proximam summi patris familias mortem deplorarunt, silentio & orationi mentali qua se Dominus immolabat in Cruce servierunt. si Dominus illis indulisset loqui, sine dubio clarissima voce omnes nequitias, iniquitates & peccata principum Iudæorum & populi derexissent, propter ejusmodi exitiale facinus, nempe Christi innocentis turpem & crudelem occisionem. Sed ubi es tu, ô anima mea, quod te non sentiam? dormis? an vigilas? Cœli te atra veste regunt, quod videant suum Creatorem occidi, tu vero nihili facis cum tui causa occidatur? flet Cœli tamen non redimantur, quia non peccarunt, & tu ô anima mea, non fles, quæ peccasti & tamen tu redimeris, si neque propter ossium fragorem, propter deformitatem membrorum Christi, neque propter illam mœstitiâ elementorum, ne unicam quidem lacrymam spargis, quando te ex alto peccatorum sopore surrecturum speras!*

**O** Sol justitiæ te adoro ac compello, ut duæ radios misericordiæ velis mittere, atque tenebras ignorantia meæ, tenebras passionum, tenebras perverforum operum dissipare. E contra immittere in me tenebrarum inferni timorem.

Y

§. 253. 14



§. 253. *In universam terram usque in horam Nonam. v. 44.*

Ut videretur & sentiretur ab omni Creatura rationabili indicium, que fieret non esse has tenebras naturales, sed supernaturales, implicabat enim in plenilunio (in quo solo fas erat Iudæis pascha celebrare) naturalem fieri eclipsin. Visa ergo per totum mundi spatium, in Asia, Africa, parte Americæ & Europa, non unius horæ spatio, sed plurium insolitis tenebris facile omnes adverterint, non levem esse causam, ob quam Deus permitteret tam insolentem rem evenire, & sic disponi ut quando paulo post venirent Apostoli prædicantes passum Dominum ex die & horis tenebrarum verisimilitudinis caperent, argumenta.

**D**omine hæc sunt signa potestatis tuæ miracula patrantis ad conversionem gentium, qui Iudæis dedisti Scripturas. Benedictus es tu, qui unicuique opportuna præbes argumenta conversionis, hæreticis rationes syllogisticas, gentibus miracula, Iudæis scripturas, peccatoribus timorem pœnarum, iustis spem æternorum bonorum. Vere bene omnia fecisti.

§. 254. *Et sol obscuratus est. v. 45.*

Ut iusta funebria Creatori tuo sol persolveret, quoniam moriente patrefamilias tota domus nigris vestitur in signum luctus: ita mundus iste tenebris vestitus est. Insuper detestationem sceleris Iudæorum, quasi indigni essent, quos aspicere sol deberet, & digni quibus subduceretur verus sol Christus eiusque Evangelii tam en, quo ablato in tenebris cæcitas & ignorantia permanerent, dixerant enim Iudæi *Tolle, tolle hunc*, quasi dicerent gravis est etiam nobis ad videndum, itaque & sol noluit eos aspicere, & sic quodammodo clamavit, *tolle, tolle istos, & disperge eos in nationibus*. Oritur hic quæstio quantæ fuerint istæ tenebræ: item quid manentibus tenebris, à sexta usque ad nonam, præsentis egerint quod hæc tenebræ Iudæis essent ob vêturæ hora sexta diei iam olim Iudæis propheta Amos prædixit: *Oscides sol in meridie & tenebre scere faciã terrã in die luminis sui*. Quo loco manifeste ad literam loquitur Propheta de terra Iudæorum Et ideo suspicari liceret, eas tenebras ultra Iudæorum terram non tetendisse, & revera AA. sunt, qui tenebras tantum referre volunt ad Iudæorum regionem, sed mihi videtur rutilius esse, credere Evangelio Christi, quo dicitur *tenebræ factæ sunt in universam terram*: & solem esse obscuratum. nam in Ægypto teste Arcopagita Dionysio, tunc in civitate Heliopoli commorante: & in Bithynia urbes concussæ sunt maximo terræ motu, ut refert Eusebius: & Romana Civi-

vitas, ut refert Orofius. Has civitates & loca præcipuas, potiffimum com-  
 memoravimus quod Heliopolis fit Africa, alter locus Asia Roma Eu-  
 ropæ, & ejusmodi tenebræ tanto maiorem præ tulerunt admirationem  
 quanto diffusiores & contra Physicas rationes & præter omnium expe-  
 ctationem contigerunt quoniam naturaliter solis defectio nunquam in  
 plenilunio contingere potest ipsa autem Eclipsis quarta decima luna lu-  
 daici mensis accidit quo die Iudæi suum pascha celebrare ad vesperam  
 incipiebant juxta legem. Cum igitur naturalis eclipsis requirat, ut luna  
 Corporis sui interiecta radios solares intercipiat eosque impediat ne lu-  
 men suum super terram possit producere quomodo hora meridiana istud  
 fieri potuisset statite sole in Meridiano & luna longe sub pedibus nostris  
 manente? Atque hinc apparet satis clare etiam populos illos qui tunc so-  
 lem utpote nocte habentes, apud Antipodas Europæorum & Africano-  
 rum, etiã has tenebras sensitse: quia deficiente sole à suo lumine etiã Lunam  
 plenã necesse fuit deficere, quia Luna semper lumen suum à sole mutuatur.  
 Ex quo perfectius verificatur sermo S. Lucæ, dicentis tenebras super uni-  
 versam terram factas fuisse, quando & sol ab una parte orbis & Luna ab  
 altera parte orbis simul defecit. Cur autem Deus tenebras tunc immisit:  
 nisi ut Iudæos præsentis admonitos redderet gravissimarum tenebrarum,  
 quæ olim ipsis ab Egypto egredientibus contigerant, quando Sacramen-  
 tum agni paschalis obier vari sancitum fuit, ut à Tyrannide Egyptiorum  
 & tenebrarum liberati possent: subindicans quod Christus foret in Cruce  
 immolandus ut sui Corporis hostia omnes in ipsum credentes à tyrannicâ  
 servitute vitiorum liberaret, ideo quemadmodum tenebræ tribus diebus  
 pene tunc visæ sunt, ita nunc totidem horis oculis omnium offensa fue-  
 runt.

**O** Verus sol justitiæ, iustum omnino est materialem hunc solem obscu-  
 rari, te præ tristitia obscurato, & jam occasui proximum, ut sicuti ille  
 ad alterum orbis transibat hemisphærium: sic nos de statu priore filiorum  
 Adæ id est de morte transiremus ad aliam vitam, cuius tu fuisti causa: ne  
 igitur quæso permittas a deo me excocari, ut nolim allequi quod ratio  
 dicit esse consentaneum; illumina oculos meos, ne unquam obdormam  
 in morte, ne quando dicet inimicus meus prævalui adversus eum *illumina*  
*tenebras meas*, & totius huius noctis mundanæ insidias, tu à me repelle pro-  
 pitius, salva me omnipotens Deus & lucem mihi concede perpetuam.  
 Amen.

§. 255. *Et velum templi scissum est medium. v. 45.*

Duplex velum erat in templo Iudaico, unum anterius, alterum posterius, quo maxime obtegebatur atrium illud venerabile, quod sanctum Sanctorum dicebatur, in quo erat arca Dei & propitiatorium quod quidem velum eo tempore scilicet in Christi morte scissum est, ut intelligerent tam Iudaei quam Christi fideles, quae in templo eius mysterio praedicata erant, iam esse reserata, & antea permissa, abolenda esse legis veteris Sacramenta, nec amplius umbris & figuris obtegenda, sed synagogam in Ecclesiam transmigraturam, & quod tabernaculo nunc amittente ita uti propagata esset via Sanctorum, & ingressus pateret ad Caelum, Christo reserante, & praeuente per sanguinem suum, & introeunte, jamque rerum diuinarum arcana omnia summa ac ima patefieri.

**S**ed quid miram templi velum scindi medium quando vivum Christi templum ipso expirante soluitur! Gratias tibi sacerdos magne atque animarum nostrarum Pontifex Christe: ita si quidem per te velum hoc scissum est ut te per Corpus tuum tanquam per apertum iam velum, sequentes in aeternum caeli tabernaculum introeamus. Et utamoto iam velamine, quod super Moyse facie, eiusque volumine, sed potissimum super corda parentum nostrorum positum erat, usque ad interiora velaminis, etiam viscera misericordiae intuendo, penetremus: sperantes quod aliquando in sancto Sanctorum, revelata te facie ad faciem contemplabimur, videndo te sicuti es.

§. 256. *Et clamans voce magna Iesus ait. v. 46.*

Iure clamat ut aspiciamus in auctorem vitae, & consideremus novissima eius, infigentes cordibus nostris verba mysteriorum eius, verba testamenti, ultima, nobisque salutaria: clamat ut audiamus, ut attendamus, ut corde percipiamus, & bene & saepe ruminemus: clamat tanquam ad surdos ut lectionem eius bene percipiamus ultimam, quam ex cathedra Crucis nobis legit: clamat tandem ut illa sua terribili voce infernus praedam dimittat, quam per tot retro saecula tenacissime in faucibus suis tenebat: si enim Dominus in Lazari morte clamavit quando eius animam ab inferni dentibus extraxit: quanto majori voce congruum erat clamare, ut infernus valido illo clamore deterritus vincos quos in lacu tenebat, liberos permitteret.

Do.

Domine clama ne cesses annuntia mihi scelera mea. Audiet peccator uti Lazarus audiuit, si tu clamare non cessaueris.

§. 257. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. v. 46.*

Animam curare eiusque salutem noctu & interdiu querere debemus, & eam non negligere, cum ipsum corporis esse & operari in anima consistat, eademque anima corpus omni sensuum officio destituat, si ipsa a corpore recedat: ideo curam habuit de anima Christus, ut homo, ut commendaret eam Deo Patri, maxime in extremis, & per hoc ostendit se ut verum hominem mori, nec tamen solum hominem, sed ut Deum & hominem, in vnius personae subsistentia & sic nobis modum relinqueret, quomodo nos debeamus gerere, si quando illud timendum mortis iter nobis calcandum sit: nec alio auxilio aut solatio instructi simus, nisi ut pretiosam & Christi sanguine emptam animam, summo cum ardore animi, Omnipotenti Deo commendemus, ut illam ab omni periculo conseruet. Profecto quod Christus, tamen filius Dei esset & ipsa iustitia, animam suam caelesti commendavit Patri, magnopere admirandum est & non dubitandum magnum sub eo mysterium delitescere: ut amor Christi erga nos ita magnus fuit, ut omnia nostra negotia sibi imponeret, & pro proprijs haberet: ita quoque omnes animas a se redemptas proprias iudicavit, ut cum Patri commendaret animam suam, iudicaret se pariter eidem omnes aliorum animas commendasse: adeo ut quidem animam propriam sollicitus, aliorum tamen animas nimirum Christianorum tuorum, non fuerit oblitus. Caput & membra, membra item ac caput, non nisi corpus vnum efficiunt, & in vno corpore non nisi vna anima Christus est e caput nostrum & nos illius membra sumus: adeo ut ex Christo eiusque Ecclesia, spiritale mysticumque corpus confletur, cuius animam Christus in ligno crucis suo Patri commendavit: dicens, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* singula verba perpendamus & addiscamus quid sit nobis in tribulatione faciendum: *Pater*, inquit, Deum Patrem cogita & vicisti, Patre Deo haec pateris, vidente, imo omnia in nobis, praeter peccata, fonte. Quid times? ne filium Pater velit perditum? at voluntarie genuit nos verbo veritatis: nec ut perderet, genuit, nihil enim odit eorum quae fecit. An forte metuis ne eo te saluum & incolumem volente, aliquis eo fortior te opprimat non est illo fortior. *In manus tuas.* Contemplare manus illas quae & omnia possunt, & omnia continent & omnia agunt & omnia largiuntur: in his manibus es & times? Timeo, inquis, non quidem ne nolit me saluum, aut ne volens non possit: sed ne ego ipse illius & voluntati &

Y 3

potenz

potentiæ obstitam: Ego enim solus obistere ei possum, illius de me ipsa bonæ ac sanctæ voluntati. Ergo te solum times? cum vero nihil est tibi contulius quam ut te ipsi totum tradas, & hostem, à quo tibi metuis potentissimo ac fidelissimo Domino custodiendum credas. Dic igitur, Pater manus tuas commendo spiritum meum, tene illum ne illo mihi obstit illius vis, sicut infans sibi obest gladio, stultus tormento, custodi eum, ne fugiat à te, qui nunc ab inimicis ad te confugit.

**E**ta Domine Iesu, sine delictorum nostrorum respectu, non secus atque ipse animam tuam gloriosam Patri cœlesti commendabas, ita tibi placeat animas nostras vitiosas, & peccati sordibus inquinatas eidem offerre & commendare, ut sanguine tuo pretioso emundatas non ad dexteram suam tecum collocare dignetur, sed saltem ponere supra scabellum pedum suorum.

§. 258. *Et hac dicens expiravit. v. 46.*

Cum diuinum verbum videret cursus sui finem adesse atque obedientiam se Patri iam compleuisse, proposuit sibi iter suum laboriosum tandem concludere, vitæque suæ ærumnosæ finem imponere, ideo vinculum ac unionem, quæ corpus inter ac animam erant dissoluit, sine omni tamen diuinæ personæ separatione vel à corpore vel ab anima sua. Quamobrem clarum validumque clamorem edidit, illoque suam agoniam terminavit, humanæque redemptioni finem impotuit, cum inclinatione capitis, & sui spiritus redditione in manum eius cui eum commendauerat. Itaque conuulsi sunt oculi eius, flauescere ac nigrescere vultus, corpus omnino cepit frigore obrigescere & deformata coma, cruor concretere cor non amplius micare, & arteriæ tanquam fracto organo ab harmonia suæ musica desistere.

**O** Anima mea. O Cor meum anne tibi volupe est remanere etiam nunc in hac vita siquidem dator vitæ est mortuus! O mitissime ac dilectissime Domine Iesu, propter mortem, quam mei causa sustinisti; immensosque dolores mei causa exhaustos, rogo te quod cum dignus aut paratus non sim reuellere spiritum meum ex corpore tecum, nihilominus tamen grauissima mea peccata ex anima mea reuellantur atque ad compensationem pœnarum mearum tu eadem in tuorum meritorum & satisfactionis mari demergas. Etenim Pater tuus unicam acceptabit guttam potius tui sanguinis, quàm pœnas meas, quas mille annis igne purgante sum expensurus.

§. 259. *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum. v. 47.*

Quis fuit hic Centurio? vnanimi Pp. sententia dicitur fuisse ille quidem, qui lancea latus Domini aperuit, & hac ex occasione quod cum mor-

neris Centurionis esset, ne viuus crucifixus deponeretur de cruce, ad ipsum pertinebat experimentum facere, an iam obiisset, in quo nihil piaculi admittere putabat: vocabatur autē hic Centurio Longinus 100. militum Capitaneus qui vero mores vitam & mortem huius Longini nosse desiderauerit, ea ex insigni historiographo Petro de Natalibus mutuaui legere non pigeat.

Sed vnde tam subita cognitio & certitudo veritatis Dei in homine Ethnico, in homine militari, in homine nesciente vnum Deum, sed cultore variorum Deorum? Vide iam tum virtutem sanguinis Christi caligabat oculis mentis iste Longinus imo cæcus erat, aspersus est super illum sanguis Christi, & ecce vidit, immundus erat & ecce aqua de Latere Christi effluens eum mundauit. hac aqua lotus fuit, hoc sanguine tinctus Centurio. nam cum ex officio nollet vt frangerentur crura Christi mortui, & ipse, ad probam, transfigeret latus in cruce pendentis, effluxit sanguis & aqua e Christi latere & per lanceam eius ad manus Centurionis primum peruenit & primus illius vim perleuit. Deus meus semper hac aqua ablue, hoc sanguine tuo conforta me imo inebria me.

§. 260. Dicens: vere hic homo iustus erat. v. 47.

Quid Centurio iste senserit, & dixerit audimus obiter ista legentes, profundius autē capimus verba eius pensitantes, quomodo pensitabimus? dico, per quendam orandi modum, quem S. Ignatius Fundator Societ. Iesu tradidit, dicens: vt in singulis alicuius sacri textus verbis hæreamus per aliquam morā temporis donec aliquis sensus animo occurrat, Faciamus hoc. Vere, ait Centurio, q d. cæterorum hominum multi iusti esse videntur, vt & meus Præles Pilatus lauans manus coram populo, & alij innumeri sese à delictis excusantes, sed specie rebus, iste autē crucifixus verè talis erat, quia cæteri homines talia patiēdo non tamen sic mori solent. Imò, qui talia nō patiuntur, sed in lectulo suo molli, inter amicorum solatia moriuntur, tamen tam iuste ac sancte mori solent, quis enim morientium apud nos orauit per persequentibus se Deum? quis in manus Dei spiritum suum commendare solet? Augustus Cæsar amicos, assidentes lectulo mortis suæ, monebat, vt sibi peracta scena vitæ plauderent, & cortinam reduxit obiitque, non sic iste homo fecit, qui dixit in manus tuas Pater, commendo spiritum meum. Primus, qui hoc fecit. *Hic Homo*: Cæteri homines sunt vulgares, iste fuit singularis, & talis vt per excellentiam possit dici Homo, cæteri comparatione eius, magis pecudes vel bestię. quomodo enim agunt alij homines? cum patiuntur, indignantur, mordent, fraudent, lacerant, hoc & bestię faciunt. Iste homo, cum patiebatur,

non

non comminabatur, ceteri homines in aduersitate solatia sibi conquirent, iste etiam latronem in pœna socium, matrem sub cruce & discipulum compatiendo labantes & pressuram patientes consolabatur, ceteri homines in aduersitate dicunt: Hoc mali certe malus genius, seu Diabolus mali homines, venefici, & mali, mihi malum crearunt: iste vere homo, vere rationalis, dicebat in cruciatibus: Deus meus, Deus meus, vt quid deteliquissime, ceteri homines solent dicere: Age, si Deus me nolit iquare, Diabolus uet, iste homo autem dicebat: Deus meus, Deus meus. Alij homines conqueruntur lacrymabiliter, & indignanter polcunt, quæ delunt, iste mansuetissime dicebat, *Sitio*. ob has causas dico, *iustus erat*. quomodo iustus simpliciter iustum dicunt morales Philosophi. 1. *Generaliter*, cui nihil perfectionis secundum speciem suam debita deest, quomodo temperans, fortis, prudens, tuum cuique tribuens iustus esse dicitur. 2. *Specialiter*, cui nihil perfectionis eius, quam erga alterum tenere potest, deficit, quomodo ille dicitur iustus, qui tam debita, quam indebita bona alteri prudenter confert. 3. *Specialissime*, qui cuncta alijs debita, sub juris quod habere merito cedit, omnibus his modis, iste homo iustus erat; ceteri aliquo vel vno horum modo, vel in aliqua hora solum, vel erga aliquos solum, Ecce ita iste Centurio loquebatur de Domino crucifixo.

**O** Centurio, bonum dedisti Domino nostro testimonium, vnde hoc didicisti? credo meditando, siue æqua, & non per Passiones distorta, rationis lance ponderando. Bene habet, conabor & ego post hac meditari, perpendere B. V. Mariam imitari, quæ fuit Princeps meditantium de Christo, vt potè de qua scriptum est, quod conseruabat omnia, quæ de eo dicebantur, & quæ fiebant, conferens ea in corde suo. talis meditatio fuit utilis schola centurioni, & mihi erit.

§. 261. *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. v. 48*

Videntes obfuscationem solis media in die ad tres horas terribilem terræ motum sentientes, verba sapientiæ plenâ de cruce audientes; rursus nantes etiam Christi famam & ante mortem eius doctrinam sanam, benefasta populo vniuerso Iudæorum, in mortuorum resuscitationem maxime Lazari multum prædicata, redierunt à rabie sua, & furore ad cor, ad institutionem Pontificum ad æstimationem Christi, à præuaricatione ad præceptum, & transgressionem ad pœnitentiam, quam tundendis pectoribus ex naturæ lumine ostendebant. nunquam enim sic aliquem reorum viderunt mori. nunquam talia verba audierant ex cruce dici, nec talia ostenta

ostenta monstrari. & ideo admirantes intra se, & ingemiscetes dicebant  
 eypresse: O quare tam iniustum reputaui. Prophetam hunc, nunc mor-  
 tuum & iustum coram Deo & hominibus! Cur verbis Principum Iuda-  
 tam facile credidi & deceptus sum? qui oderant iustum & cogitabant era-  
 dere nomen eius de terra, & suppressere, ne memoria eius ultra habeatur.  
 O quid feci, quod iniuste eum accusaui ad suggestionem & fauorem Prin-  
 cipum Sacerdotum & Scribarum populi,

O Deus, utinam omnes homines ita conuerterentur, ex his quæ vident  
 & audiunt. Utinam ira compungantur, qui peccauerunt. Video cer-  
 te quod pectora bene contundantur à peccatoribus, quoniam dura fue-  
 runt Deo ad audendum Gaudeo me esse interim in illa Ecclesia in qua  
 pectus tundere est in usu, nempe in Romana. ibi crebræ sunt pectoris tun-  
 siones, cum dicimus *Confiteor*, cum dicimus *Agnus Dei*, cum audimus *Domine non sum dignus*, &c. Isti sunt realiter Euangelici, qui hoc damnant, sunt  
 nominaliter Euangelici, sed ne quidem nominaliter, si vere æstimare ve-  
 limus.

§. 262. *Stabant autem omnes noti eius à longe, v. 49.*

Omnes eius cognati, familiares, amici, discipuli, vnica matre Iesu &  
 Ioanne exceptis, stabant à longe cum Christus penderet in cruce, qui eum  
 securificauerat, cum esset liber, & prædicando circumiret castella & mira-  
 cula perpetraret, cum triumphans ante quinque dies intraret Hierosoly-  
 mam, & præ gaudio ante eum præcedebant vel sequebantur, vt gratiam  
 eius adipisci mererentur qui filius David prædicabatur & Rex Israel & be-  
 nedictus, nunc vero cum audiunt maledicta in eum torqueri, cum infelix  
 habetur, cum in cruce pender ab eo recedunt, quia gratiam ultra nullam  
 expectare posse videntur, vt bene de Christo dici possit, quod *Quid, i. Trist.*  
*Tempora si fuerint nubila solus eris*, Multum tunc fama Christi & fides de di-  
 uinitate eius obscurata erat, quando noti & amici eius se à Christo absen-  
 tabant, declinabant eius consortium & familiaritatem, ne in suspicionem  
 venirent ad Magnares Iudæorum, quod contra se, & iudicium ipsorum  
 Christo adhererent, ipsorum inimico vti spargebant.

O Mortales hic est mundi cursus, vt, vbi non datur amplius spes tueri,  
 siue in honore, siue diuitijs aut alijs commoditatibus, elongent se ami-  
 ci ab amico in prosperis multum dilecto. Et hoc inter homines fieri  
 eo modo, tolerari potest, quia homo non est plerumque homini adeo ne-  
 cessarius; Sed qui elongant se à te, Domine, peribunt; perdidisti omnes qui for-  
 nicantur

Z



nicantur à te. mihi autem adherere Domino bonum est, siue in prosperis, siue in aduersis. nec elongabo me à te in æternum, Domine. ne peream, sed viuam.

§. 263. *Et mulieres, quæ secuta eum erant à Galilea hac videntes. v. 49.*

Quod mulieres à longe steterint vel sederint, facilius tolerandum est, natura sua magis timidæ sunt, idcirco inter viros Christi notos & terminas fit discrimen. Habet enim etiam Deus discretionem naturalis potestatis & imbecillitatis. Vidimus id in horto, cum discipulos dormientes inuenit, gradus ibi & discrimen inter dormitantes fecit.

Domine, tam discreti non sunt plerumque homines, isti fere ab vnoquoque exigunt, quod ab vno factum esse vident, vel quod ipsi cogitari fieri debere, æqualiter ab vno quolibet volunt exigere. non est discretio in terra. Est aliquis robustus superior, iste omnes supponit æque esse robustos subditos, & æqualiter ex suâ mensura eos impellit. Est aliquis superior languidus, omnes æque ut ipse languidos esse facile inducit in mentem. Idem error in scholis, in regimine temporali in spirituali multifariam contingit, sed à nullis peius hic peccatur, quam ab A catholicis, isti omnes volunt esse æquales, si inæqualitatem inueniunt statim damnant. & propter paucorum improbitatem in Clero, totum Clerum condemnant, propter aliquorum militum iniurias omnem militiam execrantur &c. non est hoc spiritus Dei, iste discretus est, inter viros & fœminas facit, & relinquit discrimen potestatis.

§. 263. *Et ecce vir, nomine Ioseph qui erat decurio, & vir bonus & iustus. v. 50.*

Insignis laus datur huic viro, ex suis meritis, tam fortunæ quam morum, tam personæ quam nominis sui. Faciamus quandam mysticam circa ipsum anatomiam. 1. Vir erat, in hoc nota animositas & naturalis temperamenti excellentiam, capacem eorum ornamentorum, quæ virtutes debentur. 2. nomen eius erat Ioseph, id est accrescens, siue ut accuratius explicem, vorium addat, augeat, adiciat, primus enim id nomen inter homines sortitus, illud assecutus est à sententia matris suæ Rachel, quam pariter dixit; Gen. 30. *Addat mihi Dominus filium alterum.* de quo interpretabilis mihi posset esse sermo, accommodatus ad istum Ioseph, posteriorem. 3. dicitur & fuit Decurio. qui titulus duplici modo potest exponi, semel ut sit titulus minor Centurione, quasi dicas decem præpositis militibus

litibus quem & decarchum, & Decanum alij vocant. potest etiam exponi ut sit titulus centurione excellentior, quasi dicas, decem centurionibus præpositus & consequenter mille viris, quidam enim censent Centurionis nomē esse magistratus super ignobiles, seu pedites, Decurionis super equites & nobiles, & plebem in Centurias, nobiles in Decurias fuisse distributas, & huiusmodi Decuriarum nobilium Principem dictum esse Decurionem. Ut, ut sit dignitatis eo tempore non exigua fuit, cuius etiam nobilitas ex nobilissimo sepulchro quod sibi nonum construxerat ex lapide dignosci potest. Hac enim de causa Chrysof. hom. in Ioannem fateatur Ioseph fuisse nobilissimam ab Arimathea Ciuitate, quæ alio nomine Ramath siue Ramathaim dicta est, eratque ciuitas separata Leuitis, sita in Sophim monte Ephraim, in qua Ciuitate vnctus fuit Saul primus Israelitici populi Rex & sepultus Samuel Propheta Domini. dicitur idem Ioseph vir bonus & iustus fuisse. Magna laus, cuius pietas ex eo elucet, quod Christum è Cruce posuerit, & depositum Sindone munda obuolutum sepultura proprijs manibus cum Nicodemo & Maria Matte Iesu tradidit, eratque expectans regnum Dei, nec vnquam consentire voluit in necem Christi, vel actus aliorum Principum populi vel seniorum, quia iniustos eos esse videbat liber per gratiam Dei & Passionibus cæterorum.

**D**ilexisti Domine iustitiam & odisti iniquitatem, propterea voluisti ut iustus tui corporis curam haberet ad sepeliendum, & iniquos odisti, & ut illi non apponerent manum tuo corpori sepeliendo. Cauisti, indicans quod nolis sanctam Eucharistiam sumi ab impijs sed à bonis & iustis. O Domine fac me bonum & iustum, uti fuit iste Ioseph ut merer non solum tangere digne tuum sanctissimum Corpus in venerabili Eucharistia Sacramento ad sepeliendum in sepulchro cordis mei, sed & id gloriosum videre, quandoque in cælis in sæcula sæculorum. Amen.

§. 264. *Hic non consenserat consilio & actibus eorum. v. 51.*

Quia rectissime viuens vnicuique quod suum erat reddent, nemini nocens, iustitiæ amans, idcirco crudelia Collegarum suorum, consilia ad mortem Iesu excogitata, non approbauerat, boni Senatoris officium semper egerat, & honestis rationibus Christi innocentiam probauerat: socios insuper monuerat ut se ab iniurijs vobis diuerterent, protestatus non approbare quæ fiebant:

Z z

sed

sed & hæc omnia egit sine animi virulentia: postquam vero legitime fecit quidquid potuit, ne Christus crudeliter & impie occideretur hoc tandem vnum in animo suo retinuit, vt corpus Iesu honeste sepeliretur, hinc ab Euangelista, non sine causa, eius iustitia, & actus honesti toti mundo in exemplum per Euangelium sunt promulgati.

**D**omine & hæc gratiam mihi concede, ne vnquam iniquo consilio vel adesse velim, vel cooperari, minus vt consentiam iniquitati minime vt concludendo iniustitiam inter sim, vel maleuolo animo, vel spiritu vindicationis procedam.

§. 265. *Ab Arimathæa ciuitate Iudæa, qui & ipse expectabat regnum Dei. v. 51.*

Postquam Euangelista bonitatem viri huius & iustitiam, ad laudem & honorem eius, descriperat, vt magis magisque innotesceret, describit etiam patriam eius & Ciuitatem iuxta qualitates eius quas habuit bonas, At igitur natus in Ciuitate Leuitica in qua Sacerdotes Leui sedem suam habebant & in qua Anna ac Heliana maritus eius nati sunt, & in qua nunquam vlla idola aut Idololatria permilla fuit, distabat, in qua & Samuel Propheta natus est, & in qua Dei iussu primus Iudæorum Rex vnctus erat, ab eodem Samuele. Sed parum hoc erat nasci in ciuitate tam præclara, addidit & ipsi fidem & spem & caritatem exemplo suorum maiorum, fuit bonus & iustus, vt fuerant qui ante eum erant de illa Ciuitate laudati. Hoc multum fuit.

**D**omine, sancti per fidem vicerunt regnum tuum, operati sunt iustitiam, adepti sunt reprobationes tuas, ideo stant ante thronum tuum laudantes & benedicentes te in sæcula sæculorum, sic me obsecro sanctum fac & iustum, vt per operationem iustitiæ merear adipisci regnum tuam, & te laudare per æterna sæcula & ultra. Amen.

§. 266. *Hic accessit ad Pilatum. v. 52.*

Quia erat notabilis persona de ordine curiæ & nobilitatis, habens officium ad ministrandum Curia, ideo facilem habuit accessum ad Pilatum, cui seruebat, neque sanè alius quispiam facile ausus fuisset intrare ad illam Præsidis, & gentilis eo tempore, propter rabiem Iudæorum & periculum contaminationis, quam non curabat pius hic Christi discipulus, qui

videtur

videns, quod ministri Pilati omnibus in Christo peractis in Monte Calvariaz, de loco crucifixionis ad propria redissent, etiam animaduertens legem Mosaicam iam esse sub veli in templo scissuram terminatam & inuavidam factam, eandem cum Christi corpore honestè sepelire intendit, & hac mente accessit ad Pilatum, & petijt sibi donari corpus Iesu iam defuncti. Considerandum hic, quod nullum tempus tam malum est, quin saltem aliqui boni remaneant ad consolationem afflictorum, & bonorum defensionem, sic tempore Heliaz cum omnia plena essent idolis, & fallis cultibus reseruaret tamen sibi Deus septem millia virorum, qui non curauerunt genua ante Baal, ita & mortis Christi tempore omnia plena erant scandalo, impietate & dissidentia in Christum, alij enim impie conuitabuntur alij abnegabant, alij scandalizati de ipso tam turpiter morro, nihil amplius boni vel suspicabantur, Ioseph hic ab Arimathia pro se hoc loco nihil motu aliorum vel impietate vel dissidentia, in fide perstitit, & confortatus constanter adijt Pilatum, & ausus est petere corpus Iesu, quod nullus discipulorum ausus fuisset postulare.

**M**agna pietas, magnanimitas maior, maximus amor & gratitudo discipuli huius enituit, in magistri defuncti corpus, pietas, vt sepeliat; magnanimitas, vt a deat Præsidem; amor, vt non curet contaminationem, & ludæorum persequentium Iesum, iram & indignationem.

§. 167. Et petijt Corpus Iesu. v. 52.

In quem finem? vt honorem exhibeat mortuo vltimum amoris signum. Bene, sed quis nostrum in tali circumstantia id fecisset? vt damnati ad supplicium corpus peteret? etiam sepeliret? si iste Ioseph fuisset ex sanguine iunctis transiret ista animositas. Si etiam plebeius fuisset homo nunc cum sit nobilis, cum sit alterius familiaris, habeo satis quod mirer, nec possum inuenire caulam, nihi magnam gratiam & insolentem quidem.

**D**omine Deus, ego hic recordor quod nutritius tuus Pater Ioseph sit dictus, & iste hoc tempore, quo crucifigebaris, iam erat defunctus, & credo, quod ad illius venerandam memoriam, alteri idem nomen habenti dederis tam insignem gratiam, vt quod ille viuens fuisset inter omnes homines primariè facturus, id iste Synonymus eius attentaret & perficeret. Idcirco propono valde hoc nomen in honore habere, quia non noui aliquè eo nomine insignitum qui non eximij aliquot vel sanctitatis, vel similibus donis fuerit exornatus ecce Patriarcha Ioseph quantus non fuit, in Genesis

nelis &c. libris laudatur? Ioseph nutritius Domini quam celebris, & quam nunc celebrior fit per Carmelitanos? Ioseph ab Arimathea, jam est positus. Ioseph cognomento *Iusti* Act. 1. celebratur Iosephus ludæus historicus, tempore Vespasiani; etsi infidelis fuit Christo tamen laudem insignem dedit, majoremque quam ullus infidelis: & ideo ea gloria ornatus est à Deo, ut propter eloquentiam in historia Græcus Livius appellaretur.

§. 268. *Et de positum involuit. v. 53.*

Accepta potestate à Pilato petebatur mons Calvaria, & cum devotione, reverentia & amore Christi corpus deponeretur è Cruce per Christi amicum, an una cum cruce an per scalas cruci admotas? non habeo pro certo determinare, communis est opinio pictorum, imo doctorum quod per scalas admotas sit depositum. Et haud dubie videntes familiares & notiores Christo, quid fieret à Iosepho, accesserint etiam ipsi, & operam contulerint, veluti Ioannes, Petrus, & Nicodemus &c. uno hoc, altero aliud præstante, tunc dubio procul B. V. M. corpus exanime amplexa fuerit, & B. M. Magdalena ad Crucis radicem venerabunda advoluta, alii coronam spinicam pro reliquia sancta, alii aliud rapuerint, & servaverint,

**D**omine Deus in Ecclesia tua Catholica varia sunt charismata & dona gratiarum, alius excellit ordinis sacri dono, ut Episcopi, alii dono sapientia uti Doctores, alii mortificatione linguæ in loquendo, ut Carthusiani, alii in paupertate ut Franciscani, alii in solitudinis studio, ut Eremita, alii in zelo animarum & clerici diversarum congregationum & societatum. Idecirco ego quoque imitatione B. Ioseph ab Arimathea conabor in aliqua virtute excellenter me exercere, nempe in humilitate, hæc erit mea officina uti B. Iosephi istius fuit mons Calvaria.

§. 269. *Involuit Sindone. v. 53.*

Ei Sindoni hunc vicissim Dominus gratiam dedit, ut fieret instar sigilli, utpote in qua Dominus sui corporis vulnerati effigiem anteriorem posterioremque impressit, ut sicuti B. Veronicæ in sudario portat faciem, ita & Iosepho huic totius corporis figuram impressam consignavit. Fecit igitur Dominus pie & amanter cū sua Ecclesia, quod solent amantes inter se præstare, nempe in discessu à se memoriale imaginem suam donare præsentiam corporalem secundum aspectabilem propriamque figuram

ram erat subtracturus, & illius loco imaginem sui substituit. vivus igitur nobiscum est per Eucharistiam & quasi mortuus nobiscum est per imagines, de quarum licitu usu ut non essemus solliciti, ipse fecit, qui nobis sui corporis imaginem linteo seu Sindoni Iosephi impressit, calumnetur Romanam Ecclesiam hæreticus hostis imaginum sacrarum, Christus eam defendit.

**D**Eus meus, qui figuram Corporis tui emortui. &c.

§. 270. Et posuit illum in monumento. v. 53.

Posteaquam à Iosepho, Nicodemo, Ioanne, Magdalena & aliis piis viris & mulieribus lacrymis, forte etiam aqua more Iudæorum esset Corpus Christi bene totum, aromatibus involutum manus & pedes compositi & prædicta Sindone amicti, caput sudario coopertū, sicut moris erat præcedentibus Angelis, ut illud pro dignitate honorarent, & sequentibus pia matre Iesu, & condolentibus aliis matronis & consanguineis cum fletu & lacrymarum ubertate, ultimum deferrent honorem: portantibus ipsum Iosepho nobili Decurione & Nicodemo forte & Lazaro & Ioanne dilecto Christi Apostolo, illustrissimis viris, prima sepultura Christiana est inchoata in capite nostro Christo in qua nec crux defuit, utpote quæ modo portaverat Dominum, nec aqua benedicta, lacrymarum saltem piarum, nec thus orationis nec cantus gemituum cordialium, quorum loco hodie symbola ipsa adhibentur nimirum aqua à sacerdotibus consecrata, & thus Arabicum benedictum, & signum crucis seu Crucifixi imaginem representans, cum cantu Ecclesiastico, &c.

**L**Audo vos omnes Christiani, quicumque devote sepulturam corporum Christianorum procuratis, cum iis ceremoniis, quas in Christi Domini funere adhibitas fuisse ratio convincit, digna sunt enim corpora, quæ spiritus S. per baptismum fuerunt habitaculum, ut aliquo competenti honore habeantur, præsertim cum eadem sint aliquando surrectura ad vitam, uti speramus beatam, quando in fide & communionem S. Ecclesiæ Catholicæ sunt defuncti, quorum reliquias sepelitis. Laudo etiam vos, quod illorum corpora ab Ecclesiastica sepultum arietis, de quorum infidelitate vel pagana, vel Iudaica, vel hæretica aut Mahomerica vobis constiterat vel de quorum excommunicatione non soluta iudicium circumfertur. talia enim corpora nequaquam spiritus Sanctus habitaculum sed mali spiritus commoratio fuisse sciuntur, & ideo merito

in

in contumelia relinquuntur etsi terræ sint mandanda aliquo abiecto loco, propter reverentiam Naturæ humanæ, quam in similitudine carnis verbum assumpsit.

§. 271. In monumento. v. 53.

Monumentum quidam Grammatici deducunt à *monos* solus, unus, unicus, & *humentum* id est domicilium in terra sive homo paratum, & hi monumentum distinguunt à monimento, quod à verbo *moneo* de flexum significat structuram monitoriam, qualis est epiraphium, statua, cippus, Mausolæum &c. alii tamen inter monumentum & monimentum non credunt esse discrimen aliud quam unius literæ varietatem dialecto introductam. Ego cuique suum de re ista iudicium integrum remitto, & discrimen aliquod in præsentia accepto, & contempletur Dominum meum Iesum Christum positum in monumento, nempe domicilio seu loculamento terreno, uni soli deputato, vere enim illud domicilium unius soliusque Christi fuit, intra terram paratum, utpote in quo nondum quisquam fuerat positus, nec postea poni permissus. Vti igitur Christus valde proprie accepit monumentum, ita non video eum ullam nasctum esse monimentum, de nulla enim inscriptione, titulo, similive super monumento eius erecto, lego, nisi ipsum crucistrophæum, cum titulo I. N. R. I. Græce, Latine & Hebraice conscriptum pro monimento sumi placebit, quod rursus in meditantium arbitrio depono.

**O** Christiani, sive vos post mortem vestram epiraphiis, & similibus honoramini, sive non; habetis unde utriusque solatium capiat. Ecce Dominus vester Christus, & sine tali honore fuit & eodem non caruit, super eius monumentum non video structuram memorialem, video tamen super ipsum montem, in quo monumentum eius est ad latus incisum, erectam illi Crucem & titulum præclarum super ea conscriptum, si igitur post mortem tali honore quempiam dignatum spectatis Domini exemplo factum reputate, finaliter, in humilitate Christi & Magistri vestri quiescite exemplo, omnes tamen Catholici hac parte laudandi, qui imitatione sui Dei & Domini, sibi crucem super monumento suo erigi curant vel optant, potest suum proprium trophæum, quod meruerunt, quando in vita Crucem post Iesum portaverunt.

§. 272. Exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. v. 53.

Quinquaginta circiter passibus à monte Calvariæ erat hortus in quo  
monu-

monumentum sibi extrui curaverat Ioseph ab Arimathæa novum ad sui Corporis sepulturam, in quo nondum quisquam positus fuerat: erat hoc rotundum, altum, dealbatum, firmum, affabre elaboratum, excisum in Petra, quæ omnia provide pro Christi sepultura fuerunt adornata, nisi enim fuisset in solida Petra firmatum, & obfirmatum ostium lapide magno, potuissent sub specie aliqua veritatis accusare discipulos Iudæ quod furati fuissent corpus eius, & resurrectionem finxissent, & nisi novum fuisset vel alius positus in eo ante fuisset, potuissent dixisse, quod alius suscitasset Iesum vel loco Iesu surrexisset aliud corpus ad vitam, sicut in Elisæi propheta sepulchra accidisse narratur ubi corpus mortui proiectum surrexit, & bene novum sibi elegit Christus sepulchrum qui per mortem omnia iam generat nova facere omnia novum Testamentum, novam legem, novum sacrificium novos homines.

**M**irabilis Deus in sanctis suis, in eo maxime, quod omnia illis cooperantur in bonum ipsorum. Ecce Ioseph homo nobilis & potens, paucis diebus ante passionem Domini monumentum sibi destinatum absolvit, operarii vix desiderant in eo parando, & ecce tam opportunè Christo Domino servitutum est paratum. Quis vero te Iosephe impulit spiritus ut propè Calvariæ locum infamem, hortum tibi faceres, & in eo monumentum non cogitabas, quod illo modo esses requiem habiturus juxta patibularios? certe credo hanc extructionem non carere aliqui insigni miraculo & pari cum illo, quo Dominus sibi ultimæ cænæ locum paravit, quia nimis homines natura sua horrent dehonorationem, etiam quo ad locum sepulturæ.

§ 273. Et dies erat parasceves. v. 34.

Posteaquam Evangelista descripserat totam historiam Christi passionis, eiusque sepulturam, & locum meminisse etiam voluit temporis quo hæc facta fuerunt, in die nempe parasceves qui erat dies ante sabbathum & quidem sabbathum in quod eo anno incidebat Festum paschæ. portio parasceve Græcum interpretatur præparatio quo nomine sextam feriam appellabant Iudæi, quia illo die præparare solebant omnia necessaria ad diem sequentem festum solemne Iudæorum.

**O** Beate Luca, bene nobis explicuisti feriam hebdomatis in quâ passus est Dominus. Hanc feriam prudentissimè observat S. Ecclesia Catholica singulis quidem septimanis abstinencia &c., præcipue tamen semel in anno in maiore seu sanctiore hebdomade. Et ecce dies olim à gētilismo digrata veneri facta est per passionem Domini ex die voluptatis, dies afflictio-

Aa

nis,



nis. Non placet hoc ventris ministris. isti quantum in se est tollendo afflictionem abstinentiæ restitunt gentilem voluptatem Veneri.

§. 274. *Et sabbatum illucescebat. v. 54.*

Sole tendente in occasum die Veneris sabbatum incipiebat more Iudæorum. & hoc indicatur verbo illucescebat, etsi enim noctescebat, vere tamen sabbatum, id est qui es bene illucescere dicebatur, tenebræ enim & nox quieti destinata sunt tempora. Habebant autem Legem specialem Iudæi, quod sabbatha sua seu festos dies à vespera ad vesperam celebrare debebant, & hunc morem etiam assumpsit S. Ecclesia Catholica quæ festis diebus assignavit in divinis officiis & primas & secundas vespertas, quomodo igitur modo à primis vespertis ordimur festa, ita Iudæi sabbatum suum & pascha illius anni ordiebantur. Hoc nobis dicit S. Lucas.

**I**terum gratias tibi dico B. Luca Evangelista, qui tam pulchre nos erudit in caeremoniis veteris legis bonis & rationalibus, ut intelligamus, unde nostros ritus Catholicos hauserimus in ordinandis officiis divinis. Incedere pro nobis ut in illis servandis simus semper constantes.

§. 275. *Subsecuta autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa. v. 55.*

Moveor super constantia harum mulierum & fidelitate erga Dominum suum & Magistrum. quem enim securæ fuerant vivum in Galilæa, verbum eius & doctrinam percipiendo, eum & mortuum sequuntur ad tumbam usque, ut gratiam exhibeant & ultimum honorem, & si ultra occasio ferret. etiam more Iudæorum eius corpus vnguentis optimis lincerent animo gratitudinem spirante supra omnia aromata.

**O** Sanctæ mulieres, Christo devotæ, & sequaces eius dignæ estis, quæ à cunctis generationibus honorem & laudem habeatis, quoniam Dominum universorum honorastis primæ, & dedistis exemplum præclarum aliis, quæ vos etiamnum sequuntur.

§. 276. *Viderunt monumentum. v. 55.*

Postquam à viris sanctis & principibus Iudæorum Nicodemo Iosepho & Ioanne & Lazaro, corpus Iesu decenter positum fuerat in monumento, & ipsis exeuntibus intraverunt piæ hæ mulieres (& non enim decebat permisceri viris tam honoratis, nec locus sepulchri permittebat) & videntur monumentum id est loci constitutionem, circum circa eam  
consi-

considerantes, & quemadmodum positum erat corpus Iesu. Faciebat hoc amor. amor enim volat, currit, & non tenetur, quærit quod diligit, modum nescit sed super omnerum modum fervescit, labores non reputat, ut frui possit amato & eum honorare.

**D**omine Iesu, videam & ego inspiciamque sedulo monumentum mysticum corporis tui, quod est cor meum, in quo toties poneris, per sacram communionem, qualiter sit constitutum an album virtutibus, an nigrum fuligine Passionum & peccatorum. Videam postro quomodo componaris in eo, an decenter? an inordinate? præparem me obsecro ut veniam cum virtutum aromatibus, omnes peccati foetores inde procul abacturus, & si quid vitiosum in eo & macularum sit ferventibus amoris lachrymis abstergam semper, ut amore tuo fervens ibi permanere possis, & ego quiescere quiete conscientia immaculata.

§. 277. *Et quemadmodum positum erat Corpus eius. v. 55.*

Nescio cur tam curiose contemplatae sint mulieres istae piæ situm corporis Dominici, nisi ad unctiorem faciendam per ipsas, præter eam quam iam impenderant ipsi Ioseph ab Arimathia & Nicodemus principes. non enim eis alio poterat servire ista notitia. si vero etiam ipsæ corpori Iesu post mortem exhiberent honorem, amoris suo utcunque satisfaciebant, eumque placebant, & conscientia suæ, magna distanti beneficia in se collata, gratitudinis debitæ onus aliquantum alleviabant.

**E**la, Deus meus, tu es gloria mea & exultatio cordis mei. agnosco me debilem nimis in amore tuo & imperfectum in virtutibus, ideo necesse habeo à te confortari, dilata me in amore, ut discam interiore cordis ore degustare quam suave sit amare & in amore lique fieri & natate imiter amorem harum foeminarum, sim de gratitudine erga te sollicitus, deficiat in laude tua anima mea, amem te plusquam me, honorem te plusquam me, nec me amem nisi propter te, & omnes in te, maxime qui vere amant te.

§. 278. *Et revertentes paraverunt aromata & unguenta. v. 56.*

Vtique à monte Calvaria & sepulchri loco reverserint in urbem Hierosolymam in admiratione, lachrymis & amore plenæ, & cum festinatione ut emerant aromata variarum specierum, & unguenta optima, adhuc ante initium diei festi, ut eo celebrato statim re-

dirent paratis unguentis ad sepulchrum eius & corpus Iesu inungere possent, & honorem vltimum & amorem ostendere dilecto. O amor! ô gratitudo! ô liberalitas harum mulierum! quam profusa sunt erga Christum afferentes, non solum se ipsas totas, quæ secutæ eum fuerant à Galilæa, multa commoda relinquentes propter Christum, sed & quæ habebant nempe rerum temporalium copiam, in acceptatissimam Domino & eius Apostolis conuerterunt oblationem.

**E**Rubefce igitur, ô anima Christiana, quod cum certo credas Christum Deum tuum vitam iam immortalem viuere, nec mortem ei vitæ dominari posse, cum magna nihilominus tepiditate & negligentia his quæ ad seruitium eius spectant, intendas. Erubefce, quod unguenta bonorum & odoriferorum operum, quibus spiritualiter Dominum perungere posses, non emas assuetudine, lectione, meditatione, auditione, inquisitione apud Patres spirituales &c. Istæ mulieres in iudicio surgent contra te tepidum, ignaum & acediosum, quia illæ mortuo tam feruenter seruierunt, tuus quidem glorificato.

§.279. *Et Sabbatho quidem fuerunt, secundum mandatum. v. 56.*

In Decalogo dicitur: *Memento, vt diem Sabbathi sanctifices. & 23. Leuitici* Ha sunt ergo feris Domini sancta quis celebrare debitis temporibus suis, mense primo quarta decima die mensis ad vesperam, Phase Domini est, dies autem septimus, erit celebrior & sanctior, nullumque seruuile opus facietis in eo. Secundum ergo hæc præcepta siluerunt ab omni opere seruuili imò ab emendo aromata & præparando; sed in meditatione sua ardescebant & cogitabant quomodo optima quæque preparare possent ad Dominici Corporis conseruationem, nullis parcens sumptibus, aut diligentia in excogitandis optimis unguentis feruentes desiderio, vt dies festus & solemnus citius transire posset, quo visitare liceret iterum Christi sepulchrum, & opus exercere pietatis, deuotionis, gratitudinis.

Harum mulierum exemplo informati tum corporis, tum animæ corpore non expellamus, audientes, quod à Christi inhumatione, quamdiu operari licuit, mulieres aromata pararunt, & toto quidem Sabbatho ab omni opere cessarunt: vbi autem illuxit dies, quæemerant aromata struere confici curarunt, vt venientes ad monumentum ungerent Corpus Iesu.

Hic

**H**ic considera o anima mea, quam diuersa fuere Dei & hominum circa Christi sepulturam iudicia. Quae enim erant Iosephi & Nicodemi &c. iudicia, (excipio B. V. Mariam & Mariam Magdalenam de qua VII. Dæmonia eiecerat Dominus, in quibus specialis fides Resurrectionis eluxit Matth. 28.) nisi humana, de Christo vt mero homine & Propheta procedentia, nempe, honeste sepelire, vermēs à Christi corpore arcerē &c. at Deus Pater longe alio tendebat, scilicet ad comprobandam certius corporis Christi resurrectionem: ideo permisit quod mulieres iuxta Legis auctoritatem, toto Sabbato à confectione vnguentorum cessarent, quo interim tertio die is, qui in cor terræ descenderat, resurgeret & sic Angeli resurrectionis triumphum mulieribus manifestarent. Quis ergo non videt luce meridiana clarius, quod sub operibus humanis diuina operentur mysteria? vult enim Deus, quod vocationem nostram sectemur: & tunc per nos efficiet, quod suae placitum erit voluntati: Nobis exemplo sunt memoratae mulieres quae resurrectionem non cogitabant, tantū abest vt eam sperarent: alias pro affectu pietatis aromata non praeparassent: & interim Deus Pater Corporis Christi resurrectionem parauit. Itaque nos exhibeamus tanquam organa diuinæ voluntati conformia, & ab ipso in nobis promouebitur, quidquid decens & opportunum iudicabit: cuius voluntatem non solum illi perficiunt, qui se præbent suae vocationi per omnia obsequentes, verum etiam perficitur in alijs iudicio rectæ rationis repugnantibus, vt patet in his qui erant hostes Christi, & sepulchrum eius signabant, atque lapide muerunt ac diligentius custodierunt, per hos enim resurrectionis articulus factus est illustrior.

Finis iam Passionis tuæ Epilogus mysterio secundum Lucam, Clementissime Domine, da vt Passionis tuæ & Crucis mortificationem iugiter cum sancto Luca in corde & corpore portem, vt & eius effectum merear obtinere & finem.

**C**onfiteor namque libere, o Domine, coram sancta Maiestate tua, quod sum minor cunctis miserationibus tuis, & indignus valde creaturis omnibus ad meum vsum procreatis terra, aëre, aqua, igne, auibus, bestijs, arboribus, plantis fructibus, auro, gemmis & singulis ad vtilitatem meam productis ex infinita tua bonitate, nullo exigente merito aut flagitante voto meo. Itaque ex intimo cordis affectu, misericordiam tuam inexhaustam imploro, non vt me in hoc sæculo maiestate aliqua vel magnitudine gloriæ exornes, aut aliquo, quod in terris speciosum apparet & oculos hominum perstringit, sed vt largiaris mihi ignominiarum, tuarum, miseriarum tole-

raturum per te consortium Tua vulnera, sanctam Crucem tuam Domine & mortem. Erunt scilicet hæc ignis, qui affectum meum penitus congelatum inflammabit: aër, qui sterile solum conscientiam meam fecundabit: aqua, quæ duritiam meam emolliet & sordes eluet: terra, quæ bonos in me erumpentes cogitatus solidabit: aurum, quod adeo me opulentum reddat, ut, quidquid usquam pretiosum exstiterit impofterum contemnere despiciam.

**I**Taque Domine angustia & languores tui sint mea delicia, tui dolores meum solatium: tua spina sint mihi rosa & odorata viola: tua Crux, meus triumphus: tua mors, mea vita: sic sic eximar à furore diuini iudicii, qui hisce medijs, quæ in hac S. secundum Lucam Passione descripta sunt, sopitus est. sic à persecutionibus tyrannicis Mundi, quem his armis uicti securus ero: sic tentationibus Diaboli his instrumentis elusas victor ridebo. Etiam Domine mi, qui petras terræ scidisti, scinde & pande cor meum lapideum; qui terram tremere fecisti, me affectionibus bonis fac ferri & flueret ad te. Qui mortuos ad vitam reuocasti, habes in me nouum Lazarum, plus mortuum primo. Qui uisitasti infernum, & exspoliasti, ecce me omnium inferni pœnarum reum, iterum exspoliare potes.

**A**Peri itaque Domine, sepulchrum animæ meæ detestandis peccati cadaveribus plenum, egrediar per te liber ex eo, qui per me in eo uinctus sum. Visita me per tuam gratiam, ut præparem tibi & varia & optima & odorifera virtutum unguenta & atomata: sinde ac contere cor meum dolore de uita præterita concepto, ut sim nouum monumentum & ad te qui supra omnem mundum es petra har acre ipsa experiar, quod Sabbathum meum sis in quo unice quiescam in sempiternum.

Finis Passionis SECUNDUM LUCAM.

Adlo

# ADLOCVTIO SVPREMA

Ad Serenissimum

PRINCIPEM FRANCISCVM,

Verdunensem Episcopum, &c. Lotharingiæ

Ducem, Clementissimum in vita mea

Dominum meum, & post mortem semper memorandum.




Vdisti me, Serenissime Princeps,  
Clementissime Domine, patienter de Passione Domini  
tui pariterque mei, imo omnium Regis Jesu CRISTI  
disserentem, legisti etiam piissime, me simplicissime scri-  
bentem, & hoc ad innumera tua in me beneficia, uti co-  
ronidem adiecisti. Ego vero quia factis ipsis nequibam  
Tuæ Magnitudini aliquid rependere, hoc, quod potui, Tuæ Clementiæ  
Maximæ conatus sum statuere Chartaceum Tropæum, in quo, quod lite-  
ras legis, tot symbola Tuæ Gloriæ, meæ humilis gratitudinis inscripta esse  
volui, imitatus Aegyptios aliquo, tenui licet modo, qui obeliscos statue-  
bant Regibus, Dijs Canopos, vel dilectis suis hominibus Mumias, omnes  
symbolicis notis pictas & impletas, quarum energiam hisce annis proximis  
celeberrimus, ex Societate Iesu, Tibi valde semper grata, & à T. Ser. Clem.  
defensa) Sacerdos P. Athanasius Kircherus Tomis aliquot in lucem edidit  
& explicuit. Ut igitur ille istas notas Hieroglyphicas mirificè diuino inge-  
nio explicuit, ita ego, omnium literarum in hoc volumine pictarum, vim  
occultum, Tuæ Serenissimæ Clementiæ velim explicaram; ita ut ubi lite-  
ram A conspexeris, eam non aliter accipias quam symbolum Tuæ Digni-  
tatis, meæ humilitatis, nimirum Tam Clem. mihi fuisse solidum contra  
tempestates tegumentum seu tectum ex tignis pyramidaliter connexis.  
ubi B istuc cogites symbolum simile à me esse depictum, nimirum mani-  
cam ferream vel auream, qua me beneuolentissima Clementia cap-  
tivum tibi semper effecisti &c. Atque eo modo & animo


Te nunc coram mundo alloquor & T. Clem. Sere-  
nissimam Clementiam humiliter veneror &

Adoro Coloniae Anno 1657.


27. Aprilis.

\* \*  
\*


















v. A adm. D.  
Georgij ab Eysche  
pulsio P. N.  
1711

Th

2584